minum. Imò extra potentiam cognoſcentem poſuimus veroſimile exemplū, quòd in ſpecie viſibili quæ eſt in ſpatio interiecto, cernatur obiectum, cum tamen ipſa non videatur. | A | Exemplum.

20. Ad vltimum iam diximus actualem ſimilitudinem non poſſe produci ab intellectu ante intellectionem, quare neceſſariò producitur vt terminus. Præterea hoc genus intellectionis quod nō eſt ſimplex intelligere, ſed eſt rem verbo exprimere, propria definitione continet verbum productum: quòd ſi ſemper eſſet actualis ſimilitudo ante intellectionem, nūquam poneremus hoc genus intelligendi verbo producto. Sed iam cōmonſtrauimus ſpeciem impreſſam non eſſe actualem ſimilitudinem, & id eſſe maioris perfectionis in cognoſcēte creato. | Ad vltimum. Reſpond. 1. | Secundò. | B

## CAPVT VI.

*Quid ſit amor per dilectionem procedēs?*

1. CVm de neceſsitate verbi diligentèr diſputatum ſit, coniunctum eſt vt de amore quoque diſſeramus. Neque enim ſatis conſtat, quæ neceſsitas ſit amoris per dilectionem procedentis, eamque ob cauſam hoc à pluribus Doctoribus indubiè negatur: nam verbum quidèm concedunt eò quòd ſit neceſſaria in intellectu actualis ſimilitudo rei, vel ex parte intellectus, quæ eſt ſpecies impreſſa ſi ſit perfecta, vel ex parte obiecti, quæ eſt verbum. Intelligimus enim per ſimilitudinem, ſiue vt principiū intellectionis, ſiue vt terminum. In dilectione autem quid conferat amor procedens, dubium eſt, ac incertum. | C | Intelligimus per ſimilitudinem actualē, ſiue vt principium intellectionis, ſiue vt terminum.

2. Primum igitur cōtemplandū eſt quid ſit amor, vt perſpectā naturā rei, eius neceſsitas declaretur. Quidam hæc ſtudioſiùs meditantes primò affirmant amorē procedentem per dilectionem eſſe impetum quendam volūtati impreſſum ad eum modum quo ſagittæ imprimitur impetus ille quo mouetur. Deinde aiunt amorem non poni vice obiecti, aut termini; quia obiectum voluntatis non ponitur in voluntate, ſicùt obiectum intellectus in ipſo intellectu eſt. Denique, vt hoc ipſum declarent, aiunt amorem non terminare, ſed determinare dilectionē; ſicut, inquiunt, impetus in ſagitta non terminat, ſed determinat motum. | D | *Bāñes 1.p. q.27.art.3.* tria aſſerit. Primum. | Secundum. | Tertium.

3. Hi Doctores in eo planiſsimè falluntur, quòd ponunt amorem duntaxàt vt principium conſequentis actionis; videtur autem negare quòd ſit ſimul terminus actionis, per quam producitur: nam impetus in ſagitta eſt principium motus conſequentis; & non poteſt intelligi amor vt impetus impellens ad illam actionem, cuius ipſe eſt terminus. Et hoc clariùs aſſeuerant, cum aiunt amorē non poni vice obiecti, aut termini; & nō terminare, ſed determinare actionem; determinare enim, ſiue dirigere actionem eſt proprium agentis: ſentiunt igitur amorem non terminare actionem per quam producitur, in quo maximè diſcordamus. Niſi fortè aliud etiā quod peius eſt per incogitantiam credunt: aiunt enim per amorem impelli, ſeu moueri voluntatem extra ſe in rem amatam; quaſi hoc quod eſt voluntatem operari antecedat amorem, hoc autem quod eſt voluntatem moueri extra ſe in rem ipſam conſequatur amorem, ſitque eius effectus, & idcircò amor dicatur impetus: ſicùt aiunt operationem intellectus antecedere verbum, ſed tamen quatenùs ea operatio eſt intellectio prius eſſe verbum, quàm intellectionem, eamque formalitèr vt intellectio eſt, eſſe effectū verbi. Quod cap. ſuperiori impugnauimus de verbo. Idemque de amore eſt dicendū; dilectio enim ſimplex eſt operatio, ſicut intellectio; cuius operationis cum amor ſit terminus, nullo modo poteſt eſſe principium, ne dicam actiuum principiū quaſi impetus. Quòd verò voluntas impellatur, feraturq; extra ſe, figurata loquutio eſt; neque idcircò amor dicitur impetus, quia impellat actiuè voluntatem ad obiectum dilectum eadē operatione qua producitur; illa quippè ſimplex eſt operatio, cuius amor nullo modo poteſt eſſe principium, cum per illam producatur; vt de verbo firmauimus validiſsimis argumentis. | Improbatur quoad primū. | Similitèr quoad 2. & 3. | Aſſertū aliud his peius, qđ ibi fortè vult | Explicatur. | Improbatur. Dilectio eſt ſimplex operatio, cuius proindè cū amor ſit terminus, nullo modo eſt principiū. Rationi contrariæ occurritur. Voluntas impelli, ferrique extra ſe dicitur per figurā.

4. Vt autē id prius conſtituamus in quo ex parte cōſentimus, eſto primū aſſertū. Amor eſt principiū motus quo facultas appetens tendit in rem amatā, ſicut grauitas eſt principiū motus deorſùm. Hęc eſt à S.Thom. petita definitio 1.2.q.26. art.1. ideòq; ait grauitatē in lapide poſſe rectè vocari naturalē amorē. Cui definitioni cōſentanea ſūt ea quibus amorē ſignificamus quòd ſit impetus quidā | 1. concluſio. Definitio amoris. | *S.Thom.* | Voces explicatiuæ amoris.

*IdẽS.Thom. exS.Diony.*

propenſio, inclinatio, & pondus. Et iterũm q. eadem, artic. 2. ad 1. ait amorem vocari virtutem, ſeu facultatem à Sãcto Dionyſio cap. 4. de diuinis nominibus, quia eſt principiũ motus, ſicut grauitas.

*S. Auguſt.*

Sanctus verò Auguſt. (quod notiſsimũ eſt) pondus vocat lib. 13. Confeſſ. cap. 9. *Amor meus pondus meum.* Et lib. 11. de Trinit. cap. 28. *Ita corpus pondere, ſicut animus amore fertur.*

Pondus principium actiuũ eſt motus.

Pondus autẽ abſque dubio principium actiuum eſt motus. Ideóque quoad hoc rectè quidèm comparant amorem cum impetu ſagittæ impreſſo, quo ſagitta pellitur.

5.

Declaratur definitio.

Amor principium actiuũ eſt motus, ſiue operationis conſequẽtis.

*IdẽS.Thom. exS.Dionyſ.*

Quod ergo attinet ad definitionem amoris propoſitam, facillimum eſt veritatẽ ipſam aperire; eſt enim amor principium motus, non eius motus per quẽ amor producitur, quod eſt impoſsibile, ſed motus, ſiue operationis conſequentis: eſt enim amor principium actiuum motus. Eaque eſt planiſsima S. Thomæ ſententia dum vocat amorem facultatem, & virtutem, ſequutus quoque S. Dionyſ. virtus autem & facultas eſt principium efficiens. Comparat etiam amorem cum grauitate, quæ eſt principium efficiens motum deorſũm: & exemplum impetus impreſsi in ſagitta idem confirmat.

*Idem.*

Et q. 27. art. 4. ait amorẽ dici Spiritum Sanctum, quia ſpiritus motionem indicat, ventus enim impellit ſpirando. Deinde clariùs ipſe S. Doctor locis recitatis docet amorẽ eſſe originem omniũ effectuum, qui ſunt in potentia appetẽte; eſt autem amor principium efficiens, & commouens affectus alios.

*S. Auguſt.* vbi ſuprà.

In hanc ſententiam videtur S. Auguſtinus venire verbis illis ſcitiſsimis. 13. confeſſ. c. 9. *Amor meus pondus meum.*

*S. Gregor.*

Et S. Greg. homil. 30. in Pentecoſt. *Amor operatur magna, ſi eſt; ſi autem operari deſinit, amor non eſt.*

6.

*S. Thom.*

Motus circularis ab appetibili ad amorem, & ab hoc in ipſum appetibile.

At verò S. Thom. 1. 2. q. 26. art. 2. circulum quendam conſtituit ab appetibili in ipſum appetibile, cuius motus circularis principium alterum eſt appetibile, alterũ amor. Ab appetibili enim tanquàm à fine mouetur potentia appetẽs, & per motum ſuum producit amorem,

Amor eſt principium reale, & efficiens deſiderij, hoc aliarum operationum.

qui amor eſt principium deſiderij reale, & efficiens; deſiderium autem eſt principium earum operationum, quibus finẽ conſequimur in quo quieſcimus: finis autem eſt ipſum appetibile, quod fuerat principium motus; & ita circularis mo-

A tus eſt ab appetibili in ipſum appetibile.

*S. Auguſt.*

Idem confirmat S. Auguſt. lib. de ſubſtãtia dilectionis. *Amor eſt delectatio cordis per deſiderium currens, requieſcens per gaudium.*

Amor quaſi altera natura, q̃ eſt principiũ motus, & quietis.

Itaque amor eſt quaſi altera natura, quæ eſt principium motus, & quietis. Eſt enim principium earum operationum, quibus mouemur in finem, & illius operationis, qua in fine quieſcimus, quæ eſt gaudium, & fruitio: in qua quiete circulus perficitur; dum enim mouemur ab appetibili, & in ipſo tandem conquieſcimus, quaſi in orbem reflectimur.

*Plato.*

Idquè iam antiquiùs Plato obſeruarat
B in Dialogo de conuiuio amoris, *Amor eſt circulus bonus à bono in bonũ in perpetuum reuolutus.*

*S. Dionyſ.*

Vndè hoc ipſum S. Dionyſ. cap. 4. de diuinis nominibus videtur ad amorem diuinum retuliſſe. Igitur, quod ad rem eſt, in his omnibus accipitur amor, vt principium efficiens operationis conſequentis, ſicùt grauitas in lapide, qua impellitur à natura deorſùm.

7.

2. concluſio.

Amor procedit præcipuè vt terminus neceſſarius dilectionis, per quam producitur.

Probatur. 1.

Secundo in loco affirmamus, amorem non ſolùm procedere per dilectionem vt principium actionum conſequentiũ; ſed maximè, ac præcipuè vt terminum neceſſarium illius dilectionis per quam
C producitur, ſicut de verbo, & de intellectione diximus. Nam niſi eſſet neceſſarius vt terminus, minimè nobis perſuaderemus amorem per dilectionem produci; eſſet enim amor duntaxat facultas ſiue vis operandi, quod pertinet ad habitus, ſiue diſpoſitiones, quæ ſunt actionum principia: virtus enim eſt habitus, & inchoata diſpoſitio. Amorem autem non numeramus inter hæc, ſed vt terminum dilectionis proprium, & intrinſecum aſsignamus.

8.

Neceſſe igitur eſt inueſtigare qua ratione amor ſit terminus operationis,
D quod quidèm difficultate non vacat; indèque erit dilucidiùs explanandum, quonam pacto ille terminus operationis ſit principium aliarum actionũ, quæ à voluntate deriuantur.

9.

Probatur. 2. & declaratur quomodò & quãdò ſic procedat.

Ego verò in ijs quęſtionibus, quas accidit denuò excitari, cum minimè ſtudioſus ſim nouitatis, aliquorum auctoritatem ſummoperè deſidero, quibus fidẽ adhibeam potiùs, quàm vt ſententiæ meæ aliorum fidem conciliem. Videtur autẽ cõſentaneum eſſe ad ea quę diximus de verbo, vt ſicut intellectus cum obiecto coniun-

A coniúctus; ſiue per ſpeciem impreſſam, ſiue per ipſum obiectum in actu intelligibile, dicitur intelligibile in actu primo: quia intellectus ſic coniuctus cum obiecto intelligibili eſt quadam ratione ipſum intelligibile, ſcilicèt propter ſimilitudinem, ſicut imago imperatoris dicitur imperator: ita etiam voluntas vt eſt ſuaptè naturâ quædam propenſio ad omne bonum, propoſito ſibi bono per intellectum, eſt ipſum bonum diligibile in actu primo; non ſecundum ſimilitudinem, ſed ſecundum propenſionem, qua ratione amicus dicitur alter ego. Quod cõfirmatur verbis. S. Thomæ 1.p.q.27. B art. 4. vbi ait quòd voluntas fit in actu, ex eo quòd habet inclinationem in rem volitam, ſcilicèt, in actu primo; nam actus ſecundus nõ eſt inclinatio naturalis, ſed operatio, aut operationis terminus.

Voluntas coniũcta cum obiecto eſt ipſũ bonum diligibile in actu primo, propter propẽſionem. Sic amicus dicitur alter ego.

Confirmatur. *S. Thom.* explicato.

10. Deinde; ſicut in potentia cognoſcente, ſi ſpecies impreſſa ſit actualis, & diſtincta, vel obiectum per ſe coniunctum; potentia cognoſcens eſt perfectè ipſum cognoſcibile, & ſuapte naturâ mouetur in obiectum abſque medio termino producto, ſeu verbo, vt ſupra docuimus. *Si* verò ſpecies impreſſa ſit per modum habitus, neceſſe eſt quòd potentia determinetur ad operationem per aliquod agens, & item quòd producat verbum in C quo res cognoſcibilis perfectè repræſentetur, & in ipſo verbo ſit res cognoſcibilis in actu completo: ita etiam maxima quadam ſimilitudine, quia voluntas eſt appetitus toti', ſcilicèt, ſuppoſiti in quo eſt, ſuaptè natura inclinatur ad bonum proprium ſuppoſiti, & cum quis ſe ipſum diligit, per ſe ipſam eſt perfectè ipſum diligibile, & per ſe mouetur in illud, nequè eſt neceſſe, vt ab aliquo determinetur ad hanc operationem, ſed neceſſariò, & naturalitèr operatur, & mouetur in ipſum diligibile abſque medio terminò producto, quem dicimus amorem. D Si verò non eſt per ſe ipſam inclinata ad bonum propoſitum, vel quia non eſt bonum neceſſarium ipſius appetentis, vel quia eſt bonum alienum; volũtas autem eſt appetitus ſuppoſiti in quo eſt; tunc voluntas per ſe ipſam non eſt perfectè ipſum diligibile. Non ergo natura impellitur ad diligendum, ſed libera eſt, oportetquè vt ſe ipſam determinet, ſiue inflectat; ideoque diligendo, amorẽ producit, qui eſt terminus dilectionis me-

Cum voluntas diligit bonum proprium, & neceſſariũ ſui ſuppoſiti; tùnc eſt perfectè ipſum diligibile in actu primo, ſiue abſq; amore producto.

Aliàs non eſt perfectè ipſum bonũ diligibile niſi in actu ſecũdo, ſiue cũ amore producto.

Amor procedit de dilectione libera.

A dius intér potentiam, & obiectũ; in quo ipſum obiectum fit perfectè diligibile, ſicut in verbo perfectè intelligibile: ſicut enim hoc obiectum propoſitum voluntati eſt actu primo appetibile, quia voluntas eſt potentia appetens; ita & in amore producto fit actu ſecũdo diligibile, quia amor product' eſt appetitus quidam, vt ſtatim explicabimus; Ideoque eſt terminus operationis, quia in eo fit res actu completo appetibilis, ſeu diligibilis.

In amore obiectum fit perfectè diligibile, ſicut in verbo perfectè intelligibile.

11. Hãc autem exiſtimo eſſe ſententiam S. Thomæ 4. Contra gent. cap. 19. vbi ipſum amorem dicit eſſe rem amatam, B ſicut verbum rem intellectam: eſt ergo in amore res diligibilis in actu completo, ſicut in verbo intelligibilis. Et confirmatur ratione S. Th. 1.p.q. 27. quia ratione amoris producti ait amatum eſſe in amante, vt cap. ſequenti dicemus; ergo in ipſo amore amatum cõiungitur potentiæ, ſicut in verbo coniungitur res cognita cum intellectu. Et ſicut in intellectione nõ cognoſcitur verbum, ſed res in verbo; ita in dilectione non amatur amor, ſed res ipſa in amore, ſiue per amorem; quia amor exercet rationẽ termini formalis, qui eſt terminus in quo, non ad quem. Ij autem qui aiunt verbũ C per intellectionem qua producitur, intelligi, nullam rationem afferunt, quare non ſimilitèr amor per dilectionem qua producitur ametur. Vnde colligimus amorem productum eſſe in diligente pro obiecto, & termino.

*S. Thom.*

*Idem* confirmat.

Per dilectionẽ noſtram non amatur amor, ſed in amore res obiecta.

1. conſectariũ.

12. Colligimus etiam eam dilectionem, qua amor producitur eſſe ſpecie diuerſam à ſimplici dilectione, qua amor non producitur. Quod diſcrimen hìc eſt manifeſtius; ſimplex enim dilectio per quã non producitur amor, naturalis eſt: ea verò per quam amor producitur eſt libera. Et ſicut de verbo diximus, ita & amor ſic eſt dilectioni huiuſmodi intrinſecus terminus, vt non poſsit intel- D ligi hoc genus dilectionis abſque amore producto; eſt enim hoc diligere, amore ferri.

Secundum.

Tertium.

13. Ad hæc verò perſpicaciùs intelligenda opus eſt animum attendere, quòd in omni actione immanente in qua eſt terminus, potentia operantis, & terminus operationis in hoc ſimiles ſunt, quòd vtraque eſt forma, non operatio: in eo tamen maximè differunt, quia potentia

Potentiæ operantis, & termini conueniẽntia.

Diſcrimen.

eſt cauſa operationis efficiẽs; terminus autem nullo modo eſt cauſa operationis per quam producitur, vt diximus. Eſt ergo voluntas appetitus quidam, ſed qui ſit principium dilectionis efficiẽs: amor autem eſt appetitus æquiuocè, non qui ſit dilectionis principium, ſed terminus, eò quòd in appetitu producto res ſit actu completo diligibilis, ſiue appetibilis. Eodem ergo modo cum ſupra diximus, quòd amor productus eſt principium efficiens operationis conſequentis, nõ eſt ita intelligendum, quòd amor per ſe ipſum operationem aliquam efficiat: ſed quoniam eſt forma rei diligibilis gerens vicem ipſius, per quam res fit diligibilis in actu completo, eſtque forma inhærens ipſi potentiæ appetenti, concurrit verò cauſalitate phyſica ad operationẽ conſequentem, & ita eſt principium efficiens conſequentium operationũ quaſi ex parte finis prædilecti concurrens.

Amor eſt appetitus æquiuocè.

Amor eſt principium operationum conſequẽtium, nõ vt potẽtia appetens, ſed vt forma potẽtiæ appetẽti inhærens.

14. Amor nominatur aptiſſimè primò vnio.

Ex quibus colliges amorẽ aptiſſimè nominari nomine philoſophico vnionẽ; cum enim per amorem is qui diligit, efficiatur ipſum diligibile in actu completo, vt diximus, quod eſt diligens, & diligibile eſſe vnum, ſicut intelligens, & intelligibile vnũ eſt; nihil potuit de amore rectius dici, quàm vt vnio vocaretur. Eſt enim coniunctio quædam, nexus, & vinculum, quo diligens efficitur ipſum diligibile. Et hoc eſt quod docet S.Th. 1. Contra gent. cap. 91. *Amans, & amatum ſe habent ſicut ad id quod eſt aliquo modo vnum.* Et Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cap. 4. *Amicus bona, ac mala amici ſuſcipit ac ſi forent ſua.* Et ibidem dixit amicum alterum ſe; quod fortè Alexander excipiens ab Ariſtotele Magiſtro, de Epheſtione familiari ſuo poſteà pronunciauit. Eſt ergo amor terminus dilectionis coniungens potentiam appetentem cum re appetibili, eaque ratione dicitur vnio. Et quia eſt principium conſequẽtis operationis dicitur facultas vnitiua ab ipſo S. Dionyſio, eſt enim principium earum operationum, quibus cũ re appetibili coniungimur finem expetitum conſequuti.

*S.Thom.* *Ariſt.*

1. ratio. 2 Ratio.

15. 2. dicitur complacentia.

Dicitur etiam amor cõplacentia, quia ea, quæ amamus, placent: Cum ergo per ipſum amorem productum amentur, & placeant, rectè amor complacentia vocatur. Dicitur etiam ratione eadẽ adaptatio, quia per amorem erga rem amatam ita nos gerimus, vt ad ipſam nos coaptemus, atque omninò accommodemus. Et à S.Thom. q. 37. art. 1. vocatur impreſſio rei amatæ in amante.

3. adaptatio.

*S.Thom.*

16. 4. impreſſio rei amatæ in amante.

Quidquid autem per ſimilia nomina explicetur, illud erit perpetuò obſeruandum, vt minimè exiſtimemus amorem productum concurrere ad operationem per quam producitur, vt cauſam realẽ, ſed dũtaxat vt terminum, in quo res efficiatur actu completo diligibilis.

17. Odium etiam de operatione libera volũtatis procedit. Probatur.

Quod idem videtur dicendum de actu odij, cum liberum eſt: Nam & ad hoc voluntas propenſa non eſt, ſed per operationẽ profert odiũ; nam & odium mali eſt amor boni. Imò in appetitu ſenſitiuo, qua parte aliquid libertatis attingit, non erit incongruum concedere amorẽ procedentem: nam & in ſenſu interno conſtituit S. Thom. verbum quodlib. 5. ar. 9. ad 2. quod idẽ videtur docere Ariſtoteles 3. de Anima cap. 3. ſcilicèt poſſe nos fingere quod volumus, imaginando; quod idẽ ait lib. de Memoria, & Reminiſcẽtia cap. 1. fingere autẽ eſt aliquid mente exprimere, quod eſt verbum producere. Et idem ſentit S. Auguſt. lib. de vera religione cap. 6 & lib. 8. de Trinit. cap. 6. Quare vt conſentaneè diſputemus de verbo, & amore, ſicut in imaginatione ſenſus, quia aliquid nouum exprimitur, videtur neceſſarium verbum, aut ſaltèm idolum, ſi verbum nolis appellare, quia loqui eſt proprium naturæ intelligentis: ita & quia in appetitu ſenſibili libertas quædam eſt participata, videtur poſſe concedi amor procedens, qui appetitum propellat in concupitum finem; vt diximus de amore rationali. Et per hæc refelluntur argumenta, quæ contra opinionem S.Thomæ ſolent opponi aſſerentis per dilectionem aliquid procedere, ſcilicèt amorẽ, vt terminum.

Etiam in appetitu ſenſitiuo eſt amor procedens.

In ſenſu interno eſt verbum ſeu potiùs idolum.

*S.Thom.* *Ariſtotel.* *S. Auguſt.*

In appetitu ſẽſibili libertas quædã eſt participata.

18. Obiectio *ex Ariſtot.*

Incidit tamen dubium in verbis Ariſtotelis 6. Metaphyſ. tex. 8. vbi ait verũ & falſum eſſe in intellectu, bonũ autem in rebus: verum autem eſt obiectum intellectus, & bonum obiectum voluntatis: ergo obiectum intellectus, quod eſt res cognita, eſt in cognoſcẽte; non autẽ eſt in voluntate obiectum eius, quod eſt res amata: atque adeo, vel in voluntate non producitur amor, vel ſaltẽ amor nõ eſt in illa vice obiecti, vt docuimus. Sed hoc primum negamus; in vtraque enim potentia tàm cognoſcente, quàm appetente

Reſponſio. In vtraque potentia tam

tente

cognoſcente quã appetente eſt proprium obiectum ratione termini producti. Modo tamen diuerſo.

tente eſt propriũ obiectum ratione termini producti, modo tamen diuerſo; in verbo enim eſt res cognita, vt in imagine, in amore autem, vt in quadam complacentia qua volũtas quaſi rapitur extra ſe. Hi ergo duo termini operationũ ſic ſe gerunt, vt verbum quaſi trahat obiectum ad potentiam propter ſimilitudinem; amor verò trahat potentiam in obiectum, quatenùs ipſe amor, qui eſt terminus dilectionis, eſt principiũ aliarum operationum. Et hoc eſt diſcrimen inter vtrumque, cum tamẽ vterque terminus gerat vicem obiecti, atque adeo vtrumque obiectum ſit in potentia vtraque, vt ex ſuperioris capitis diſputatione ſatis liquet.

Amor trahit potentiam in obiectum quatenus eſt principium aliarũ operationum quibus finem conſequimur.

19.
*Ad Ariſtot.*
1. interpretatio

Reſpondetur ergo Ariſtotelem inter verum, & bonum id diſcrimen cõſtituiſſe, vel ad indicandos diuerſos modos operationum; quia verum trahitur ad intellectum, voluntas verò trahitur ad bonum: vel (quod eſt ſimplicius) intellexit verum primò inueniri in operatione intellectus, bonũ autẽ primò in re ipſa; quod aliàs explicabimus lib. 3.

2. ſimplicior.

20.

Quæ autem ſit amoris neceſsitas nõ minùs clarè liquet ex iam dictis: impoſſibile enim eſt diligere, quod eſt liberè amare, niſi amorem proferamus erga rẽ dilectam; eò quòd voluntas aut appetitus naturâ ſuâ non ſint erga rem illam ſatis propenſa.

## CAPVT VII.

### *Res amata eſt in amante.*

1.

QVòd res amata ſit in amãte, vel amãs etiã in re amata, nõ ſignificat aliquid rebus adiectum præter dilectionem ipſam, & amorem, ſed eſt modus loquendi ad præſcripta philoſophica expendendus. Et quia hoc etiam conducit ad explicandum proceſsionem Spiritus Sancti, eſtque ex modò dictis de dilectione, & amore deducendum, hoc loco diſputandum opportunè occurrit.

Amans eſt in re amata.

2.
*Aureo. apud Capreol.*
*S. Thom.*

Aureolus apud Ioan. Capreol. in 1. d. 10. q. 1. negat amatũ eſſe in amante, ſed duntaxat amantẽ eſſe ait in amato. At verò S. Thomas 1. p. q. 27. art. 3. vtrũq; docet, & quòd amans ſit in re amata, & quòd res amata ſit in amante, quod idẽ affirmat q. 37. art. 1. Primum oſtenditur per ea, quæ ſolemus dicere, eũ qui amat

Dicta cõmunia.

A

non apud ſe eſſe, aut viuere, ſed in re dilecta tota mente, & cogitatione occupari. Quod S. Auguſtinus ait 13. confeſ. cap. 9. *Amor meus pondus meum; illo feror, quocunque feror.* idéque ait 11. de Ciuitate Dei cap. 18. Et S. Bernardus, *Anima veriùs eſt vbi amat, quàm vbi animat.* Et Sermone S. Dedicationis Eccleſiæ eleganter cauſam oſtendit quare Deus in nobis eſt. *O Pater miſerorum,* inquit, *cur apponis erga eos cor tuum? ſcio, ſcio, vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt, & cor tuum.* Eſt ergo etiam ex verbis Domini conſequens, vt ſit cor in theſauro, amãs in re amata. Quibus ſimilia Plato diſſeruerat de conuiuio amoris. Et ibidem Marcilius Ficinus argutè diſputat, eum qui amat perdere vitã dum non viuit apud ſe, eandem tamen recuperare dũ viuit in altero quẽ diligit. Eandéque ob cauſam S. Dionyſ. ait amorẽ extaſim facere, quia amans quaſi à ſe diſcedit ſui oblitus, dum ea quæ ſunt amici cogitat. Ipſum vide lib. 4. de diuinis nominibus lect. 10. vbi ait ideo Deitatis amatorẽ fęlicisſimũ eſſe, quia viuit non ſuã, ſed amatoris Dei vitã multò magis diligibilẽ, quaſi vitã cum Dei vita amando cõmutet. Ex quibus omnibus colligitur, quòd amans ſit in re amata.

*S. Auguſt.* *S. Bernard.* *Matth. 6. num. 21.* *Plato.* *Marcil. Ficinus.* *S. Dionyſ.*

B C

3.
Amatũ eſt in amante.
1. per cognitionem.

Aſſerendũ tamen eſt quoq; rẽ amatã eſſe in amãte. Et primò quidẽper cognitionẽ, non enim amamus, niſi quæ nouimus, quę autẽ amamus iterũ atque iterũ animo tractamus, quod ait S. Th. 1. 2. q. 28. art. 2. iuxta illud Pauli, *eò quòd vos habeam in corde.* Deinde res amata eſt in amante, vt cauſa in effectu; amans enim mouetur à re amata, non quidẽ motu phyſico, ſed tamen vera cauſalitate, qua ipſe amor eſt effectus cauſæ finalis.

*S. Thom.* *Ad Philip. 1.*

2. vt cauſa finalis in effectu.

D

Tertiò res amata eſt in amante, vt centrum in re propenſa ad centrũ, quo pacto S. Thomas 4. Contra gent. cap. 19. ait locũ ſurſùm eſſe in re leui, quia eſt locus naturalis, quò res leuis natura ipſa pellitur, & ita amans propendet in rem amatã. Quartò eſt res amata in amante quatenùs amor productus gerit vicẽ rei amatę, vt terminus intrinſecus dilectionis, quod capite ſuperiori declarauim⁹. Vnde S. Thom. proximè citatus docuit amorẽ eſſe ipſam rem dilectã, ſicut verbum eſt res intellecta, eò quòd amor faciat rẽ diligibilẽ in actu cõpleto. Ideoq; 1. p. q. 27. a. 3. planè ait quòd proceſsio amoris

3. tanquam effectus in cauſa efficiente, vt cẽtrum in re propenſa ad centrum.
*S. Thom.*
4. quatenus amor gerit vicẽ rei amatæ.
*S. Thom.*
1. locus.

Secundus,

amoris eſt ſecundum quod amatum eſt A in amante, ſicut per conceptionem verbi res dicta, vel intellecta eſt in intelligente: eſt ergo amatum in amante per hoc quòd amor procedens, & in ipſo amante immanens, gerit vicem rei amatę. Et 1. 2. q. 26. art. 2. & 4. Contra gent. cap. 19. ait amatum eſſe in amante per coaptationẽ, & cõplacentiam, quæ verba maximè ſignificant naturam amoris. Ad quod etiam pertinet illud ex q. 37. art. 1. quòd amatũ ſit in amante per impreſsionem; quia amor, qui eſt effectus rei amatæ in genere cauſæ finalis, eſt quaſi virtus impreſſa propellens voluntatem in rem amatã, vt ſuprà explanauimus. Et hic modus philoſophãdi maximè confert ad proceſsionem Spiritus Sancti declarandam, vt poſteà videbimus. Et idem S. Doctor 12. q. 16. art. 2. ponit motũ amoris circularem, quia amans eſt in amato, & amatum in amante.

Tertius. Quartus. Quintus.

4. Veriùs dicitur, ſecundũ cauſã veritatis, quòd res amata ſit in amante, quàm è contra. Probatur 1.

Imò veriùs dicitur, ſecundũ cauſam veritatis, quòd res amata ſit in amante, quàm quòd amans ſit in re amata. Horũ enim enunciatorum illud eſt fundamentum in re ipſa, quòd ſcilicèt in amante ſit dilectio & amor; ea enim eſt cauſa veritatis, ſiue cum dicis amantẽ eſſe in re amata, ſiue cũ dicimus rem amatã eſſe in amante: ſunt enim hæ rationis relationes ex mentis collatione exortæ; re verò ipſa ſicut amatũ eſſe nihil eſt in re quę amatur, ita amatũ eſſe in amante, nihil eſt in re ipſa quæ amatur: amantẽ verò eſſe in re amata eſt etiam relatio rationis; nam illud eſſe, non eſt verum eſſe cũ non exiſtat in illo. Sed vtriuſque veritatis fundamentũ eſt in eodem amãte, ſcilicèt dilectio & amor. Ergo ſecũdũ cauſam veritatis veriùs dicitur amatũ eſſe in amante; in quo amante eſt dilectio & amor, quã amatum eſſe in re amata.

Vtriuſque veritatis fundamẽtum eſt in amante.

5. Probatur 2.

Attendendum etiam eſt, in dilectione ita cõparari potentiam appetentem cum obiecto, vt quædam conſiderentur ex parte vnius, quædam ex parte alterius. Ex parte ergo obiecti illud coniungitur cũ potentia per cognitionem qua mouet potentiam; per amorẽ quo terminat; & his modis obiectũm eſt in potentia; eſtque etiam in ea tanquam in effectu cauſæ finalis, vt diximus; & tanquam in cauſa efficiente & impellente, vt centrũ in re leui. Ex parte verò potentiæ, quia volũtas impellitur in rẽ dilectã, quaſi rapiatur extra ſe, vt hic impulſus ſignificetur, aimus amãtẽ eſſe in amato quaſi illic verè ſit quò intenditur: Dicitur autem voluntas moueri extra ſe per figurã quandam loquutionis, cum motus volũtatis non egrediatur extra, ſed maneat in ipſa: & quia extra ſe moueri dicitur, amans quoque dicitur eſſe in re amata; minùs ergo propriè hoc dicitur, quàm quòd res amata ſit in amante.

Voluntas dicitur moueri extra ſe per figuram.

6. 1. Obiectio. *ex Ariſtot.*

Sed eſt argumentũ ex Ariſtot. contra illud, quòd amatũ ſit in amante; amatũ enim eſt finis; Ariſtot. autẽ 4. Phyſicor. tex. 23. inter modos entis in alio refert, B quòd ſit res in ſuo fine, non tamen quòd finis rei ſit in re quæ eſt ad finẽ; non eſt ergo amatũ in amante. Ad hoc reſpondendũ eſt quòd id quod eſt in fine, eſt tãquã in cauſa, & adhùc non exiſtit; ſed eſt in intentione agentis; & hoc modo finis non eſt in re quæ eſt ad finẽ, cũ finis ſimplicitèr antecedat id quod eſt ad finem: ſed ipſe finis eſt in intentione agentis, & ita amatũ eſt in amante. Exemplum eſto, in intentione agentis potio amara eſt in ſanitate vt in fine, quia ibi cõtinetur vt in cauſa, & in eadem intentione nõ eſt ſanitas in potione, ſed potio in ſanitate: ipſa tamen ſanitas, quæ eſt finis, C benè eſt in intentione agentis, & ita eſt amatum in amante.

Reſpons. Amatũ eſt in amante nõ vt in re quæ eſt ad finem, ſed vt in agẽte intendẽte, ſeu in intentione agentis.

Exemplum.

7. 2. Obiectio *Aureoli.*

Quod verò Aureolus obiicit impoſſibile eſſe vt vtrumque ſit inuicem in altero: facili reſponſione refringitur; nam ſecundũ rationes diuerſas impoſsibile non eſt, maximè quando eſſe in alio eſt ſola relatio rationis. Illud verò vltimũ meditandũ eſt, quòd ſi faciamus verba de amore mutuo, ſiue dicas amantem eſſe in amato, ſiue contendas amatum duntaxàt eſſe in amãte, neceſſe eſt vt ſit vterque, in vtroq; ſiquidẽ vterq; & amãs eſt, & amatum; eſt enim quædam viciſsitudo D amoris, vt vterque ſit in altero cõſenſione volũtatis, ſicut diuinæ perſonæ in ſe inuicem ſunt vnitate naturæ.

Reſponſ. Non eſt impoſſibile vt vtrũq; ſit inuicem in alteró maximè quando eſſe in alio eſt ſola relatio rationis. In amore mutuo id neceſſe eſt.

*Confirmatio.*

HÆc ſententia quòd amatum ſit in amãte non ſolũ auctoritate S. Th. probatur, ſed etiam verbis Pauli ad Philip. 1. *eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis.* Et iterum ad Galat. 2. *viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus* 8.

*Ad Philip. 1.*

*Ad Galat. 2.*

Diſſentit ſolus *Aureolus*.

*Chriſtus*. In eadem autem ſententia ſe- A rè omnes Doctores conſentiunt, ſi Aureolum excipias.

## CAPVT VIII.

### *In Deo eſt vera, & realis proceſsio.*

1. POſtquã diſputauimus de verbi creati origine de ipſa intellectione producti, & amoris naturâ de dilectione prodeũtis: de diuina amoris proceſsione diſſerendum iam eſt cum S. Thom. 1. p. q. 27. art. 1. & in 1. d. 13. art. 1. & de potent. q. 10. art. 1. & 4. contra gent. cap. 11. At verò hoc capite primùm, vt nomen proceſsionis expoſuerimus, oſtendendum eſt ſecundum fidem Catholicã eſſe in Deo proceſsionem.

*S. Thom.*

2. Verbi procedere multiplex ſignificatio. Prima, & primaria. Secunda. Tertia. Quarta. Multiplex etiã in ſacris literis Prima. *Iudith. 16.* Secunda. *Pſalm. 44.* Tertia. *Paralip. 20.*

Quoad nominis ſignificationem, procedere eſt loco moueri; eſtque is proprius animantium motus, quo ſe ipſa mouent, & incedunt, ſeu procedunt. Latinè autẽ dicitur procedere is, qui æquali gradu, aut cum pompa incedit. Et mutata aliquatenùs nominis ſignificatione, procedere, hoc eſt, prouehi, & proficere. Crebriùs verò procedere idem eſt, C quod prodire, ſeu exire. At verò in literis ſacris has quoque ſignificationes huius verbi inuenimus. De inceſſu cũ põpa dicitur Iudith. 16. *Erat autem diebus feſtis procedens cum magna gloria.* Aliàs verò procedere dicitur, quaſi progredi, quod eſt vltra procedere, iuxta Pſalm. 44. *Intende, proſperè procede, & regna.* Deniq; procedere dicitur prodire, & hoc frequentiſsimè vt 1. Paralipom. 20. *Eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere.* Hoc eſt, exire. Omnis autem ea ſignificatio verſatur in quodã motu ad locũ; ſiue enim procedere, hoc eſt, prodire dicas, ſiue incedere, ſiue pro- D gredi, is dicitur procedere, qui loco mouetur.

3. Significatio primaria eſt motus localis animantium. Probatur.

Eſt autem motus ſecundum locum hominibus maximè notus, quorum cognitio à ſenſibus ducitur; ſẽſus autem eſt circa continuum, quod eſt materia proxima ſenſilium accidentium: vnde motus in continuo, ſeu in ſpatio, ſeu in loco notiſsimus vulgo eſt, vt S. Thom. adnotat q. 10. de Potentia art. 1. quæ autẽ primùm ſenſui occurrunt, primò etiam nominamus.

*S. Thom.*

4. Eadem quoque ratio efficit, vt ex hac prima vulgarique ſignificatione, traducatur ad alias verbum hoc apud Philoſophos. Nam ſicut motus in continuo priorem partem continui, id eſt, propinquiorem priùs occupat; & deinde remotiorem poſteriùs: ita in omni motu cũ ſit prius & poſterius, à priori ad poſterius proceditur. Quocunque ergo motu res moueatur, imò quacunque mutatione mutetur, dicitur procedere, vt à calido in frigidum, à tenebroſo in lucidum.

Ex vſu philoſophorum extenditur.

1. Ad omnem motum, ſiue etiam mutationem.

5. Deinde latiùs ad ortum ex quacunq; cauſa.

Dilatatur adhùc nominis ſignificatio vt non ſolùm ea res dicatur procedere, B quæ mouetur, ſed quæ cauſam aliquam, aut ſui principiũ habet. Vnde à cauſa finali, & formali effectus proprius procedit. Maximè verò dicitur procedere ab aliqua re, id quod ab illa oritur, vel gignitur: In quo ſenſu dicitur Eccleſiaſtici. 42. *De veſtimentis enim procedit tinea, &c.* hoc eſt, gignitur tinea de veſtimentis. Et Iob 38. *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens.* Neq; ſolùm à ſuis cauſis, ſed à ſuis principijs res quæque dicũtur procedere, vt linea procedit à puncto. Qua ſignificatione deſcribitur aureum candelabrum Exodi 25. *facies & candelabrum ductile de auro mundiſsimo, haſtile eius, & calamos, Scyphos, & ſphærulas, ac lilia ex ipſo procedentia.* Non enim baſis candelabri erat cauſa vnde procederent calami, ſed erat initium, ſeu principium vnde incipiebant, ſiue cõſurgebant calami. Quia ergo motus localis res notiſsima eſt, ideo verbũ procedendi, quod eum motum indicat, vſu loquendi euaſit in tam amplam ſignificationem.

*Eccleſ. 42.* *Iob 38.* Deniq; latiſſimè ad ortũ à principio. *Exod. 25.*

6. Ea ſunt rebus diuinis aptiora nominaquæ communiora.

Hæc autem amplitudo ſignificandi, in diuina nomina maximè conuenit; ea enim ſunt rebus diuinis aptiora nomina, quæ communiora ſunt; quæ autem viciniora ſunt rebus humanis, à diuinis maximè diſtant. Verbum igitur procedendi tribuitur perſonis diuinis in ea duntaxàt ſignificatione, qua res vna ab alia procedit, vt à principio: perſona enim vna eſt principium alterius, quod in ſequentibus explicabimus.

7. Significatio primaria ex vi impoſitionis. Aliæ ex vſu ſapientum.

Aliud autem eſt à quo hoc nomen impoſitum eſt, vel à quo eſt deductum, ſcilicèt à procedendo ſecundum locum; & aliud eſt quod nomen iſtud ſignificat ex ſapientium inſtituto, ſcilicèt, vt indicat quemcunque ordinem vnius ab altero,

ſiue

ſiue vt à cauſa, ſiue vt à principio procedentis. Quarè nomen hoc communiſſimum eſt, vt notat S. Thom. 1. p. q. 36. artic. 2. communiora autem nomina Deo maximè conueniũt, vt li. 5. dicem*.

*S. Thom.*

8.

Nomen verbale, proceſsio, ſiue proceſſus.

A verbo autem procedendi ducitur nomen verbale, proceſsio, ſiue proceſſus, lata ſignificatione: Et in ea ſignificatione quadrat nomen hoc proceſsionis diuinæ origini, in qua ſcilicèt vna perſona eſt principium alterius, & ab alia procedit: ſũt autẽ, verbo procedẽdi ſic accepto, ſynonima, prodire, exire, egredi, defluere, & emanare, Autore Beſſarione in oratione Cõcilij Florent. pro vnione Græcorum cap. 6. Et hæc eadem vſurpat Concil. Nicen. lib. 6. Concilium verò Florent ſeſſ. 6. & ſeſſ. vltima, vtitur prætereà verbis ſcaturiendi, profundẽdi, hauriendi, quæ ab aquis, & fonte ducuntur. Nam & S. Dionyſ. libr. 1. de diuinis nominibus cap. 2. Patrem nũcupat fontem, Filium autem & Spiritũ Sanctũ nuncupat gemmas, ſiue germina diuina; ſanè per metaphoram, ductam ab arboribus, quę gemmas, & germina emittũt. Quas voces Patres ſimilitèr vſurpant, dum diuinas proceſsiones tractãt, & explicant. Et in ſacris literis horum aliqua nomina reperies, quæ ſtatìm exemplo ſubijciemus in confirmatione.

Verbi procedere quædam ſynonima. *Beſſarion.* *Cõcil. Nicen.* Alia ſynonima *Cõc. Florẽt.* *S. Dionyſ.*

9.

Proceſsio alia à Deo: alia in Deo.

At verò antequam eſſe in Deo proceſsionem oſtendamus, obſeruandũ eſt proceſsionem duobus modis dici, ſcilicèt, aliam à Deo, aliam in Deo: proceſſio à Deo, eſt ea quæ ad res creatas deriuatur; diciturque proceſsio à Deo, quaſi à Deitate in res creatas effluens. Proceſsio verò in Deo ea dicitur, quæ in ipſo manet, quia id quod procedit non eſt à Deitate ſeiunctum. Et in hoc ſenſu affirmat Catholicæ fidei conſenſio in Deo eſſe proceſsionem, ſcilicèt internam in ipſa Dei eſſentia manentẽ, qua vna perſona ab alia procedit, quia vna eſt principium verum, & reale alterius. Et hoc videtur obſeruaſſe S. Cyril. lib. 6. Dialogorũ paulo poſt principium expreſsis verbis, vbi ait verbũ ex Deo ſecũdũ naturam ex ipſo, & in ipſo prodire, vt internam proceſsionẽ inſinuaret dicẽdo, Verbum à Deo in Deo ipſo prodire.

Quòd proceſſio in Deo ſit, ex fide conſtat. *S. Cyrillus.*

10.

Probatur ex diuina infinitate.

Quòd igitur in Deo ſit proceſsio, à naturæ diuinæ infinitate petendum eſt. Et nonnulla argumenta ſunt quæ perſuadent, & faciunt rem non nihil credibilẽ;

A non ita tamen vt veritatem ipſam commonſtrent, vt poſteà videre licet, vbi argumenta illorũ referuntur, qui hanc veritatem eſſe demonſtrabilem falsò crediderunt. Illud ex S. Thoma accipiendũ eſt q. 33. art. 2. ad 4. quòd perfectio generationis petitur à termino; quo enim magis coniungitur terminus cum principio, perfectior eſt generatio, ſicut & perfectior ſimilitudo: igitur diuina generatio eſt perfectiſsima, in qua principiũ, & terminus eſt eadem diuina eſſentia, vt hoc lib. docebimus. Et idem eſt argu- B mentum de proceſsione Spiritus Sãcti, quæ licet non ſit generatio, vt poſteà quoque diſputabimus, eſt tamen perfectiſsima proceſsio; quia principium & terminus, eſt eadem eſſentia diuina.

Quòd proceſſio in Deo ſit perfectiſsima. 1. argumentũ *ex S. Thom.*

Principium & terminus, eadẽ diuina eſſentia.

11.

2. argum. *ex S. Hilar.*

Diuina autem proceſsio ſemota longiùs imperfectione quapiam cogitanda eſt, vt verbis S. Hilarij vtamur 6. de Trinitate. *Non eſt portio, non eſt defectio, non eſt diminutio, non eſt deriuatio, non eſt protenſio, non eſt paſsio: ſed viuentis naturæ ex viuẽte natiuitas eſt, & Deus ex Deo exiens eſt.*

12.

Ad tertiũ arg. quæſtio pertin.

C Ad hoc tamen pronũciatum, quo decernimus proceſsionem diuinam manere in ipſa ſubſtantia Deitatis, illa quæſtio etiam pertinet, ſint nè perfectiores actiones tranſeuntes immanentibus? Si enim actiones tranſeuntes perfectiores ſunt, non videtur neceſſaria proceſsio realis, quæ maneat in Deo, ſiquidem actiones à Deo egreſſæ ſunt perfectiores. Rem iſtam pertractat Dionyſ. Carthuſ. diſt. 29. q. 3. ex Doctorum ſententijs: Alexand. Alenſ. S. Bonauentura, Albert. Magnus, Ægidius, & Sãctus Thomas anteponunt principium operationis internæ, quæ abſque dubio perfec- D tior eſt, quia eſt forma agentis, vt iam diximus; ergo & operationis principiũ perfectius eſt. Contra occurrit Durandus, quoniam etſi actio tranſiens ſit imperfectior, tamen ipſum principium actionis communicat ſuam ſubſtãtiam; agentis autem eſt dare eſſe; ergo illud principium quod dat eſſe ſubſtãtiæ, perfectius eſt. Nihilominùs dicendum eſt perfectionem principij ab operatione eſſe petendam; operatio enim eſt finis operantis; quare perfectior operatio indicat planè perfectius eſſe principium: cum ergo actio immanens ſimplicitèr ſit perfectior tranſeunte, vt omnes conſen-

Omnes anteponunt actionem immanẽtem trãſeunti. *Carthuſ.* Immanentis principiũ præferunt. *Alenſis.* *S. Bonauent.* *Albert. Mag.* *Ægidius.* *S. Thom.* Ratio. Tranſeuntis principium *Durand.* Ratio.

Priores ſequẽdi. Fundamentũ. Perfectio principij ab operatione eſt petẽda.

Confirmatur.

cõſentiunt, eius quoque principium eſt ſimplicitèr perfectius. Et confirmatur, quia potentia à qua eſt actio immanens perficitur per eandem; quare hoc etiam accidit perfectionis ipſi potentiæ, quòd habeat in ſe ſuum actum.

Reſpondetur ad Durãdũ. Inter actiones trãſeũtes quænã perfectior. Nõ inuenitur in angelo. Probatur 1. Secundò.

Verum eſt quòd actionis tranſeuntis illa perfectior eſt, quæ communicat agẽtis ſubſtantiã, & hoc comprobat argumentum: hæc tamen perfectio non inuenitur in angelo; tum quia angelus in actione tranſeunte eſt agens æquiuocum, quod communicat ſuam ſubſtãtiam per imitationem, ſed non in ſpecie eadem: tum quia cõmunicatio ſubſtantiæ in actione tranſeunte prouenit ex parte materiæ, quã agens communicat cum re genita; quæ materia imperfecta eſt, & in angelo non eſt:

3. argumentũ proponitur. Principium vndique perfectiſsimum inuenitur in diuina origine.

ergo principium perfectiſsimum inuenitur in diuina origine, quod eſt operationis immanentis, & nihilominùs cũ communicatione ſubſtantiæ coniunctũ, nõ ex parte materiæ, ſed ex parte ſolius formæ, vt poſteà declarabimus.

S. Thom. Alenſ. 1. interpretatio

Sed adhùc S. Thom. d. 29. q. 1. art. 2. ait prioritate rationis principium operationis externæ eſſe prius, quod Alenſis confirmat, quia ſcilicèt per operationes externas Deitatis, quæ notiores ſunt, ad internarum proceſsionum intelligentiam penetramus:

Secũda potior.

vel etiam, quod magis placet, loquitur Sanctus Thomas de potentia notionali, quæ conſequitur attributa, vt poſteà docebimus. Certum tamen ſit hoc loco proceſsionem diuinam ad immanentes operationes pertinere.

### *Confirmatio.*

13. Cõfirmatio ex ſacris literis. Primus locus. *Michææ 5. S. Hieron. Euſeb. S. Cyrill. S. Chriſoſt. Theodoret. Rupert. Magiſter.*

HAnc veritatem teſtantur ſacræ literæ Michææ 5. *Et egreſſus eius abinitio à diebus æternitatis.* Quem locum de diuina proceſsione Chriſti Domini Patres explicant. Sanctus Hieronymus, & Euſebius libr. ſeptimo de demonſtratione Euangelica capit. ſecundo, Sanctus Cyrillus libr. ſecundo de Trinitate. Sanct. Ioan. Chriſoſt. in illud Pſalm. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* Theodoretus item, Rupertusque & alij, Magiſter etiam in primo, diſtinctione ſecunda, idem affert teſtimonium.

Cur dicatur pluralitèr egreſſus, ſiue egreſsiones. 1. Explicatio.

Quòd autem pluralitèr dicatur, egreſſus ſiue egreſsiones, aliqui referunt ad hoc, vt ipſa æternitas proceſsionis explicetur numero plurali, eò quòd herì, & hodiè, & iampridèm

A eadem proceſsio extat. Secunda. Alij verò volunt ſignificari eo numero magnitudinem huius proceſsionis, idque eſſe Hebræorum idiotiſmum. Tertia *Petr. Galat.* Petrus Galatinus vtramque proceſsionem Chriſti, ſcilicèt diuinam, & humanam indicari affirmat; qua in re diuinam proceſsionẽ hoc loco teſtatam eſſe non inficiatur.

2. locus. *Eccleſ. 24.* Explicatur à doctoribus de ſapientia.

Poteſt etiam afferri illud Eccleſ. 24. *Ego ex ore altiſsimi prodiui.* Sed doctores explicant verba hæc vt Sapientiæ creatæ tribuantur. Si verò de increata, quæ eſt Verbum Dei, & Filius B Dei, explicentur; haud dubium eſt diuinam proceſsionem ſignificari, ſaltem in ſenſu myſtico.

3. 4 & 5. locus. *Ioan. 8. 15. & 13.*

Clariùs verò dicitur Ioan. octau. *Ego ex Deo proceſsi.* Et Ioan. 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Et Ioan. 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit.* hoc eſt, à Deo proceſsit.

Sextus. *Ioan. cap. 16*

Quod apertiùs dicitur capit. decimoſexto. *Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à Patre, &c.* confirmat ergo fidem illorum, quòd à Deo eodem C que Patre ſuo exierit, hoc eſt, genitus proceſſerit.

Septimus. *Pſalm. 109.* Octauus. *Pſalm 2.* Nonus. *Iſaiæ 53.*

Nomine verò generationis eadem proceſsio diuina ſæpiùs repetitur Pſalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Et Pſalm. ſecundo. *Ego hodie genui te.* Et illud Iſaiæ 53. *generationem eius quis enarrabit?* Quæ verba de generatione diuina Patres interpretantur.

Vndecimus. *Iſaiæ vltimo* Explicãdus de regeneratione hominum.

Afferri ſolent ad hoc argumentum verba Iſaiæ vltimo. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe nõ pariam?* Sed hæc ſunt de regeneratione hominum explicanda ad literam. Ante enim hæc verba proximus ſermo eſt de incredibili Eccleſiæ fœcunditate, & breui partu, vt innumeros vna fi- D lios edat. Deus autem hanc diuinam hominum natiuitatem ſibi tribuens ait. *Numquid ego, qui alios parere facio,* ſcilicèt naturæ editione, *ipſe non pariam?* id eſt, cur filios per gratiæ donum, non mihi gignam? Non ergo eſt ſermo de proceſsione diuina interna, niſi fortè in ſenſu myſtico.

Alia loca, *Ioan. 1. & 3. Hebræor. 11. 1. Ioan. 4.*

Crebrò tamen Chriſtus dicitur Vnigenitus Dei, quo nomine ſignificatur etiam genitus Ioan. primo, & tertio. Et Hebræorum 11. & 1. Ioan. 4.

14. Eodem ſpectat nomen Filij.

Præter hæc autem, nomen Filij, quod eſt planè diuinum, ſine generatione cõ-

ſtare non poteſt; generatur ergo diuina perſona, quæ Filius dicitur, & procedit in Deitate eadem, cum vna ſit Deitas, vt libro ſuperiori oſtendimus. De effuſione autem Spiritus Sancti, quo nomine ſignificatur eius diuina proceſsio, mentionem frequentèr in literis ſacris inuenimus.

Item effuſio Sp. Sancti.

15. De Proceſsione diuina Patres, quos retulimus, fuſiſsimè diſputant; & Catholica fide tenendum eſſe aſſeuerant, quod conceptis verbis de Spiritu Sancto Eccleſia concinit. *Qui ex Patre Filioque procedit.*

*Eccleſia.*

## CAPVT IX.

### *Hæreſes contrariæ refelluntur.*

1. Autotheana hæreſis.

COntra diuinas proceſsiones prima nouaque hæreſis occurrit, quæ ponit quidèm diuinas perſonas plures; ſed abſque proceſsione vnius ab alia. Hi hæretici Autotheani dicuntur teſte Gilberto Genebrard. lib. 1. de Trinitate, eò quòd Filium Dei dicunt eſſe non Deum de Deo, ſed Deũ à ſe ipſo; Eſt ergo Deus abſque proceſsione. In qua etiam hæreſi Caluinus eſt implicatus: De qua re diſputat Petrus Caniſius in Proœmio operis S. Ioan. Bapt. Et Robertus Blelarminus lib. 2. de Chriſto cap. 19.

*Genebrard.* In ea Caluinus. *Caniſius.* *Bellarmin.*

2. Ne autem ambiguitas nominis det locum hæreſi, attẽdere neceſſe eſt, quòd Deus ſecundum eſſentiam eſt ens primum, & in hoc ſenſu eſt ens à ſe, quia non ab alio procedit. Veriſsimum igitur eſt, Fideque Catholica retinendum, quòd Filius Dei, qui eſt verus Deus, eſt ens ſecundum eſſentiam primum, & ens à ſe, hoc eſt à ſua eſſentia exiſtens, neque ab alia priori eſſentia pendens, aut eſſe accipiens: neque Pater eſt aliud ens, ſed idem ens, vt libro quarto dicemus. Et in hac ſignificatione nominis, Sanctus Epiphanius hæreſi 69. videtur appellare Filium autotheon, hoc eſt ens à ſe ipſo, ſeu à ſua eſſentia. Eſt autem Filius perſona procedens; in quo ſenſu hæreticum eſt Filium aſſerere autotheon, hoc eſt, à ſua ipſius perſona exiſtentẽ, & non ab ab alia procedentem. Eſt ergo Filius ſecundum eſſentiam autotheos, ſed non ſecundum perſonam.

Filius eſt autotheos, id eſt, à ſe ipſo, ſeu à ſua eſſentia, conceditur, ſed cum hac explicatione. *S. Epiphan.* Eſt autotheos, id eſt, à ſua ipſius perſonà, & non ab alia, negatur, vt hæreſis.

3. *Bellarmin.* negat Patrem eſſe autotheon ſecundum perſonam.

Robertus Bellarminus ipſum Patrẽ negat eſſe autotheon ſecundum perſo-

A nam; quia, inquit, nõ procedit à ſe; quaſi ipſum nomen, autotheos, ſignificet aliquid impoſsibile: à ſe enim procedere impoſsibile eſt. Sed Richardus libr. 5. de Trinitate capite tertio, ait Patrem eſſe à ſemetipſo, hoc eſt, non ab alio. Et ita Pater autotheos dici poteſt, cum nulla inſit hæreſis ſuſpicio, quòd Pater dicatur autotheos. De Filio autem non niſi cum explicatione propoſita permittendum id eſt.

*Richard.* affirmat, & rectè.

4. *Genebrard.* Αὐτο in compoſitione ſignificat à ſe, & per ſe.

Obſeruat etiam Gilbert. Genebrard. ad Schegkium fol. 87. ἀυτο, in nomi-
B num compoſitione Græcana ſignificare à ſe, & per ſe; primo modo, vt ἀυτο ſignificat à ſe, Filius dicitur verè autotheos ſecundum eſſentiam, hoc eſt, non ens ab alio, cum ſit primum ens; at verò ſecundum perſonam, falsò dicitur autotheos, hoc eſt, perſona non ab alia, cũ ſit à Patre. Secundo modo, vt ἀυτο ſignificat per ſe, Filius eſt omninò autotheos, hoc eſt, per ſe & eſſentialitèr Deus, more Dialectico loquendi. Verum eſt quòd in hoc ſenſu, ſi præpoſitio, per, indicet cauſam ſiue principium, nõ eſt Filius per ſe Deus, quaſi non per Patrem, à quo habet Deitatem; eſt autem
C per ſe Deus, hoc eſt, neceſſariò & eſſentialitèr Deus, vt ſit modus per ſe prædicandi Dialecticus.

Filius eſt autotheos, hoc eſt, per ſe, & eſſentialiter Deus. vbi, per, nõ indicat principiũ

5. Hæreſis Autotheana aſſerens Filiũ eſſe ſecũdum perſonam autotheon. Confutatur 1. ex ipſo nomine Filij. Confirmatur confutatio ex ſacris literis.

Quòd autem Filius non ſit perſonâ autotheos, hoc eſt, non procedens, ex ipſo nomine liquet; qui enim dicit Filium non genitum, id quod ait negat: præterquàm quòd literis ſacris aduerſatur diuinam eius natiuitatem teſtantibus; plures enim ingenitos inducit, hoc eſt, plures non procedentes, quod neque inter hæreticos eſt vnquàm auditum; ſolum enim Patrem ingenitũ omnes dicunt.

6. Confutatur 2. ex numero perſonarum ternario.

D Confutatur adhùc ratione, quoniam ſi inter perſonas diuinas non eſſet proceſsio, qua earum numerus continetur, vt dicemus poſtea (oportet enim eſſe tres perſonas, ſiquidẽ ab vna altera gignitur, altera à duabus ſpiratur) nullus certus numerus aſsignari poterit. Neq; enim vlla alia ratio poteſt occurrere, quare ſint tres perſonæ potiùs quàm quatuor, aut plures; & quare his nominibus ſint notatæ.

7. 3. confutatur.

Item arguitur, quoniam niſi ſit proceſsio inter diuinas perſonas, diſtingui nequeunt relationibus, ſed abſo-

lutis

lutis proprietatibus oportet diſtingui; quod Deitatem maximè dedecet, vt lib. quarto dicemus. Nam in relationibus æquiparantiæ, ſeu eiuſdem nominis non poteſt eſſe diſtinctio; ſimile enim, & ſimile non diſtinguunt, ſed adueniunt rebus diſtinctis; neque eæ relationes ſunt in Deo reales, vt lib. tert. dicemus: quare nequeunt diſtinguere perſonas reali diſtinctione. In relationibus autem diſquiparantiæ, ſeu nominis diuerſi eſt exceſſus, vt maior ſit magiſter, quàm diſcipulus, Dominus quàm ſeruus, menſura nobilior quàm menſuratum: ſolæ ergo relationes originis, inter easque ſunt diſquiparantiæ, non indicant exceſſum vt non maior ſit Pater Deus, quàm Filius Deus; cum eandem naturam Pater det Filio.

*Relationes æquiparãtiæ nõ diſtinguũt, ſed adueniũt rebus diſtinctis.*

*Interrelationes diſquiparantiæ ſolæ relationes originis nõ indicant exceſſũ.*

8. Sunt ergo aliæ contrariæ hæreſes Sabelliana, & Ariana, quæ in vna hac conſentiunt, vt diuinã proceſsionem vtraque pars tollat. Nam Sabellius qui ait Patrem, & Filium eſſe nomina perſonæ eiuſdem, proceſsionem Filij à Patre euertit, non enim vna, & eadem perſona procedit à ſe ipſa. Arius verò qui Patrẽ, & Filium negat eſſe eiuſdẽ eſſentiæ, proceſsionem internam in ipſa eſſentia ſimilitèr inficiatur, vt obſeruat Sanct. Thom. prim. part. quæſtion. 27. articul. primo, vbi etiam docet tàm Arium, quàm Sabellium ita cogitaſſe diuinam proceſsionem, vt ſit in ea cauſa, & effectus, & ſit proceſsio extra Deum. Nam Arius ponens eſſe perſonas plures cum diuerſitate eſſentiæ, credidit vnam perſonam eſſe extra aliam, & procedere ab alia, vt effectum à cauſa, quæ ſunt eſſentiâ diuerſa. Et hi quidèm dicebant non eſſe propriè generationem, ſcilicèt de ſubſtantia Patris. Alij verò neque generationem propriè, neque creationẽ, ſed aliquid miſtum ex his. Quod commemorat Marius Victorin. libr. primo contra Arium *dicentes*, inquit, *neq; generatione Filium, neque faciendo eſſe à ſe, ſed compulſu iſtorum duorum*, id eſt, miſta quadam actione ex duabus. Sabellius verò, qui dixit perſonam eſſe vnam, exiſtimauit perſonam vnam, & eandem prout eſt cauſa rerum, dici Patrem, vt procedit in vnum effectum, creans nos: dici Filium, vt procedit in alium effectum, natus inter nos: dici Spiritum Sanctum, vt procedit in alium effectum, ſanctificans nos: quare vterque ponit proceſsionem cauſæ & effectus, & proceſsionem extra Deitatem; at verò internam proceſsionem, in qua non ſit cauſa neque effectus, non agnouerunt.

*Sabellius proceſsionem diuinam tollit.*

*Item Arius.*

*S. Thom.*

*Vterq; diuinã proceſsionem cogitauit, vt in ea ſit cauſa, & effectus.*

*Declaratur quoad Arium.*

*Mari⁹ Vict.*

*Declaratur quoad Sabellium.*

9. Argumenta Arij apud Sanctum Athanaſium recitantur in Concilio Florentino ſeſſ. 20. Quædam etiam adijcit Eunomius, quæ refutat Sanctus Cyrillus in ſuo Theſauro. Horum partem capite ſequenti tractabimus; partem diſtribuemus, vt ſuis quæque locis inſerantur. Quòd verò Filium Dei eſſe creaturam voluerit Arius, habet locum tomo quarto, cum erit hoc de Verbi, & Chriſti Deitate tractandum.

*Argumenta Arij apud S. Athanaſ. Conc. Florẽt. Argumẽta Eunomij apud S. Cyril.*

## CAPVT X.

### *Argumenta refelluntur.*

1. Argumenta Arij apud Sanctum Athanaſium plurima leguntur cõtra diuinam proceſsionem, & recitantur in Concilio Florentino ſeſsion. 20. Quædam autem argumenta ſunt ſuis quæſtionibus abſoluenda, ſcilicèt quomodò Pater generet ſemper exiſtẽtem, quia ſcilicèt generat de ſubſtantia, & non ex nihilo. Item quòd non generet coactus, & tamen naturalitèr generet. Tum etiam quòd non ceſſet eius generatio, quia eſt æterna. Denique quô fieri poteſt, vt communicet Pater naturam, & non Paternitatem, cum vtraque ſit res eadem; quod libro iſto contra Durandum elucidabimus.

*Argumẽta Arij quædam alibi tractanda.*

2. Nonnulla tamen argumenta Arianorum ſunt, quæ poſſunt hoc loco ſatis aptè expediri ex communibus philoſophiæ principijs: & nos alia pro loco adijciemus.

*Quædam hîc adiectis alijs.*

3. Arguitur ergo quòd non poſsit in Deo eſſe proceſsio intima in ipſa eſſentia Deitatis. Si perſona procedens non eſt Deus, non eſt proceſsio in Deo, ſed extra Deũ; ſi verò Deus eſt, eſt ens primum; repugnat autem, quòd id quod eſt primum, procedat ab alio: ergo nulla eſt diuina proceſsio. Et confirmatur, quia ens primum eſt maximè per ſe ens: at verò Sanctus Hilarius lib. 12. de Trinitate teſtatur non per ſe eſſe qui per natiuitatem eſt.

*1. argum.*

*Confirm.*

*S. Hilar.*

4. 2. argum. *Ariſtot.* Secunda. Si in Deo eſſet generatio, eſſet mutatio; eſt enim generatio mutationis ſpecies,, vt ait Ariſtotel. 5. Phyſicorum, text. 4. Et idem dicẽdum eſt de ſpiratione, qua Spiritus Sanctus procedit; ſunt enim diuinæ proceſsiones quoad hoc ſimiles: ſed in Deo non eſt mutatio; ergo neque proceſsio. A

3. 3. argum. Tertiò. Generatio eſt actus medius inter generantẽ & genitum; ſed in Deo nihil eſt medium, cum omnia ſint vnum; ergo in Deo non eſt generatio.

4. 4. argum. *S. Proſper.* Quartò. In Deo nihil eſt melius, quaſi diuinum aliquid ſit aliud melius, aliud minùs bonũ; quod enim minùs eſt Deo, Deus non eſt, vt ait Sanct. Proſper. Sed melius eſt dare quàm accipere; ergo accipere non eſt quid diuinum; ſed perſona quæ gignitur, aut procedit, accipit naturam ab alio; ergo non eſt diuina perſona; ergo generatio, aut proceſsio in Deo non eſt. B

5. 5. argum. Quintò. Is qui accipit capax eſt rei acceptæ; capax autem dicitur id, quod eſt aptum accipere, quod eſt ſubiectum phyſicum, quod habet potentiam paſsiuam, quod habet cauſam efficientem: hæc autem non poſſunt Deo conuenire, cum ſit actus purus. C

6. 6. argum. Sextò. Id quod procedit vt ſit, procedit vt exiſtat; ergo accipit exiſtentiam; ergo verè efficitur & habet cauſam efficientem, quod repugnat Deo, vtpotè primo agenti. Cõfirmatur, quia id quod accipit eſſe ab alio, ſi conſideretur præciſa acceptione, nihil eſt; ergo id quod accipit eſſe ab alio, ſecundum ſe eſt non ens, & à non ente ad ens procedit: quod rectè affirmat Auicena ſeptimo Metaphyſicæ capite ſeptimo docens illud quod ex ſe non eſt ens, de nihilo eſſe. (Confirmat. — *Auicen.*)

7. 7 argum. Septimò. Id quod procedit, eſt natura diſtinctum à ſuo principio; ergo in natura eadem non poteſt eſſe proceſsio ſubſtãtialis interna. Et cõfirmatur, quia id quod procedit accipit partem naturæ, quod maximè cernimus in generatione viuentium. (Confirmatur.) D

8. 8. argum. Octauò. In generatione, eſſentia quæ præexiſtit in generãte incipit eſſe in genito; ſed eſſentia diuina non incipit de nouo eſſe in Filio; imò ſemper eſt in ſe ipſa, & non in alio: ergo in eſſentia diuina non poteſt inueniri generatio.

9. 9 argum. Nonò. In Angelis ideo nõ eſt generatio, quia ſunt perfectiores viuentibus corporeis; ſed Deus eſt perfectiſsimum viuens; ergo in eo non eſt generatio, aut vlla proceſsio naturalis.

10. 10. argum. Decimò. In Deo intelligimus verè, & propriè intellectionem non diſtinctam ab intellectu, & dilectionem non diſtinctam à voluntate: ergo ſimilitèr poſſumus intelligere Verbum non diſtinctum ab eo; qui verbum dicit, & amorem non diſtinctum ab eo, qui amorem elicit: Verbum ergo & amorẽ falsò ponimus perſonas diſtinctas à Patre; cum probatum ſit hæc omnia in Deo nõ diſtingui.

12. Vltimum argum. Apud *Sanct. Athanaſ.* Eſt vltimum argumentum apud Sãctum Athanaſium lib. 1. contra Arium. Si in Deo eſt proceſsio, tota natura cõmunis poteſt cõmunicari; ſed paternitas eſt natura communis, cum multi ſint patres; ergo Pater communicat paternitatem; ergo nihil differt à Filio, ſed eſt quoque ipſe Filius Pater.

13. argum. Arij. Apud *S. Th.* Arius verò idem vt refert Sanctus Thomas, prim. part. quæſtion. 42. artic. ſecund. argumento prim. recenſens modos diuerſos proceſsionum creaturarũ, à quibus omnibus modis abhorreret natura diuina, arguendo colligebat non eſſe proceſsionem in Deo.

### *Aduertenda.*

1. 1. aduertendũ. Ad huius rei intelligentiam animo recolenda eſt diſtinctio illa ſcitiſſima, actionum alia eſt tranſiens in externum ſubiectum, alia manens in ipſo agente: proceſsio igitur diuina non poteſt eſſe actio tranſiens, quia in Deo non eſt potentia paſsiua, aut ſubiectum in quo actio recipiatur; neque eſt aliquid extraneum à natura agentis cum ſit natura vna, & eadem in tribus perſonis; non ergo diuina proceſsio actio tranſiens eſt, ſed potius ad eas actiones pertinet, quæ manent in agente. (Proceſsio diuina non poteſt eſſe actio tranſiens. Probatur.) At quòd actio maneat in agente ſolùm poteſt accidere in ijs, quæ mouent ſe, qualia ſunt viuentia, quia in ijs actionibus idem eſt agens & paſſum: in viuentibus autem ſolæ actiones potentiæ cognoſcentis, & appetentis manent in ipſis potentijs operantibus, & dicuntur actiones elicitæ; & per illas non (Actio immanens ſolùm eſt in viuentibus. Solũ eſt in potentia cognoſcente, & appetente.)

immuta-

A immutatur materia prima, neque alteratur, niſi fortè antecedat ſenſum, & appetitum ſenſus aliqua mutatio organi corporei; ſed ipſa ſenſatio, aut appetitus non eſt materiæ mutatio, aut alteratio, quæ requirit partem mouentem diſtinctam à parte mobili: nam in ipſomet ſenſu manet actio ſenſus, & appetitio in potentia appetente. Remota poſt hæc multitudine potentiarũ, quæ naturã ſenſitiuã continentur; quia eæ imperfectæ ſunt, & cum materia cõiunctę, ſolùm ſupereſt intellectus, & voluntas, in quibus actiones in Deo immanentes B poſſumus meditari, ab ijſque diuinæ proceſsiones neceſſario ſunt petendæ. Ideoque Sanctus Athanaſius in quodam ſermone Concil. Niceni aſſerit Arianos negare Deo vitam, dum proceſsionem Filij, & Spiritus Sancti negant; quia ſcilicèt actiones intellectus, & voluntatis ſecundum quas ſunt iſtæ proceſsiones, ſunt viuentium propriæ, quas illi Deitati detrahebant negãtes proceſsiones diuinas, quæ ſunt ab intellectu, & volunrate diuina.

In Deo ſolùm in intellectu, & volũtate cõſiderari poteſt.

*S. Athanaſ.*

Ariani negant Deo vitam.

15. 2. aduertendũ

Deinde aduertendum quòd agens per actiuum principium agit, cui neceſſe eſt reſpondeat paſsiuum principium; C vnde cum in Deo nõ ſit quid paſsiuũ, ſed totum ſit actus, non poteſt eſſe propriè agens in ſe; & per conſequentiam impoſsibile eſt, quòd in Deo ſit actio propriè, actio enim eſt agentis. Dicimus ergo intellectionem, & dilectionem diuinam eſſe actiones, id eſt, actus potentiarum iſtarum; & ſecundum hos actus concedimus propriè in Deo proceſsiones Verbi, & amoris: quia proceſsio nomen eſt communius, quàm actio; ſignificat enim in ſua amplitudine ordinem vnius ab alio. Et ideo in Deo D eſt propriè proceſsio, ſed non propriè actio, qua in ſe ipſo agat.

In Deo non eſt propriè agens in ſe: proinde nec propriè actio.

Proceſsio in ſua amplitudine ſignificat ordinẽ vnius ab alio.

16. Proceſsio diuina potius dicẽda actus, quàm actio.

Diceremauté proceſsiones diuinas actus potiùs quàm actiones; actus enim nomẽ eſt Deitati maximè quadrãs, in qua nulla eſt paſsiua potentia.

1. ratio.

Eſt etiam nomen communiſsimum, vt teſtatur Sanctus Ioan. Damaſcenus libr. ſecund. Fidei orthodox. capit. 28. aitque ibidem *Actus etiam eſt naturalis cuiuſque ſubſtantiæ, & virtus, & motus, ſine quo ſolùm eſt non ens.* Proceſsio ergo diuina, quæ eſt diuinus quidam motus, omnis tamen mutationis expers, actus quàm optimè dicitur. At Sanctus Thom. in 1. diſt. 4. quæſt. 2. art. 1. vocat proceſsionem diuinam operationem; id eſt enim diſcrimen inter motum, & operationem, quòd motus eſt imperfecti, operatio autem perfecti, vt ait Ariſtotel. 10. Ethicorum. Accepit autem hoc Sãctus Thom. etiam à Sancto Ioan. Damaſcen. 1. libr. Fidei orthod. capit. 8. vbi ait diuinam generationem non eſſe mutationem, ſed operationem, ſeu etiã opus naturæ; opus enim eo loco pro operatione interpretandum eſt. Vnde etiam colligit Sanctus Thomas generationem diuinam non eſſe aliquid medium inter generationem & genitum, ſicut accidit in rebus creatis; quia generatio diuina non diſtingitur à perſona genita.

Secunda. *Damaſcen.* 1.

*A S. Thom.* dicitur operatio.

*Ariſtotel.*

*A Damaſc.* opus naturæ, id eſt, operatio *S. Thom.*

Generatio diuina nõ eſt aliquid medium, quia nõ diſtinguitur à perſona genita.

17. 3. aduertendũ.

Adhùc verò obſeruandum erit, quòd eſſe illud, ſiue exiſtentia illa, quæ diſtinguitur re ipſa aliqualitèr ab eſſentia, vt dicemus lib. 4. eſt eſſe creatum, quia recipitur in ipſa eſſentia. Vnde neceſſe eſt, quòd res quę accipit eſſe ab eſsentia diſtinctum, ſit actionis phyſicæ, aut creationis ſubiectum, & potentiam paſsiuã habeat. Quo etiam conficitur, vt accipiat naturam diſtinctam à ſuo principio agente; quòd non accipiat totam naturam agentis, ſed partem; & quòd eſſentia difinita ſit & imperfecta; & ſecũdum ſe exiſtentiam non contineat, ſed ab agente expectet deriuandã. Quòd ſi exiſtentia ſit ipſa rei eſsentia, omnia his oppoſita facilè occurrunt; neque enim poteſt recipi in eſsentia exiſtentia, quæ ab illa nullatenùs diſtinguitur: quare neque eſsentia eſt ſubiectum exiſtẽtiæ; neque fieri poteſt, vt ſit eſsentia diſtincta, quæ eſt ipſum eſſe infinitum omnia continens; neque quod finita, aut imperfecta ſit; aut ab agente exiſtentiam in natura accipiat, cùm ſit ipſa natura ſua propria exiſtentia. Ab hac autem animaduerſione argumẽtorum ſolutiones facilè depromuntur.

Eſſe, ſiue exiſtẽtia quæ diſtinguitur re ipſa aliqualitèr ab eſſentia, eſt eſſe creatum. Probatur. Conſectaria quædam.

Contrà, exiſtẽtia quæ eſt omnino ipſa rei eſſentia eſt diuina. Probatur. Conſectaria quædam.

## Reſponſio.

AD primam reſpondetur concedendo maiorem propoſitionem, quòd perſona procedens diuina proceſsione eſt Deus verus, & ens primum. Conceditur etiam, quòd ens primum non poteſt procedere ab alio; nam ens primum 1.

Ad 1. Ens primum nõ poteſt procedere ab alio primo ente.

AA 3 ſignifi-

ſignificat eſſentiam diuinam in concreto, quæ non procedit ab alio primo ente; ſicut Deus nõ procedit ab alio Deo. Si verò ſermo ſit de perſona diuina, ea quę eſt ens primum poteſt procedere ab alia perſona quæ eſt ens primum. Diſtinguimus igitur minorē, quòd id quod eſt primũ non procedit ab alio; ſecundũ eſſentiã concedimus, ſecundũ perſonã negamus. Similitèr diximꝰ cap. ſuperiori quòd perſona procedēs eſt ſecũdũ eſſentiam autotheos, hoc eſt, ens à ſe; cum tamen perſona ipſa, vt perſona, non ſit à ſe, ſed ab alia perſona. Rectè ergo ait Sanctus Anſelm. Monolog. capit. 43. *Nequaquàm repugnat vt Filius per ſe ſubſiſtat, & de Patre habeat eſſe. Sicut enim Pater habet eſſentiã, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, &c. itagignendo dat Filio eſſentiam habere, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo.* Et poſt pauca. *Quare non repugnat Filio & ſubſiſtere per ſe, & eſſe de Patre, quia hoc ipſum, ideſt, per ſe ipſum poſſe ſubſiſtere neceſſe eſt Filium de Patre habere.* Accipit Sanct. Anſelm. verbum ſubſiſtendi, pro exiſtendi verbo: ſubſiſtere autem, vel exiſtere per ſe, apud illum, eſt per eſſentiam exiſtere, quod eſt proprium primi entis; & nos explicauimus exiſtere à ſe, hoc eſt, ab ipſa eſſentia: quod Chriſtus Dominus de ſe ipſo obſcuriùs teſtatus eſt, quòd vitam haberet in ſemetipſo, ſicut & Pater, Ioan. 5. *ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Habet ergo vitam in ſe eſſẽtialem, ſed habet à Patre. Hæc eſt ergo S. Anſelmi ratio; ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, hoc eſt, à propria eſſentia, ita eandem eſſentiam Filio communicans dedit ei vitã habere in ſemetipſo; ita vt per ſe, hoc eſt, per eſſentiam exiſtat. Non ergo aliquid repugnat quin Filius & per eſſentiam exiſtat, & hoc ipſum habeat à Patre, vt per eſſentiam exiſtat.

Id quod eſt primum ens procedit ab alio ſecundum perſonam, non ſecundum eſſentiam.

*S. Anſelm.*

Subſiſtere per ſe, hoc eſt, exiſtere per eſſentiam, ſeu à propria eſſentia Filius habet à Patre.

*Ioan. 5.*

19. S. Thom. 1. p. q. 27. art. 1. alitèr proponit hoc argumentum conſtituens ordine tertium; repugnat, inquit, primo principio vt procedat ab alio; ergo is qui ab alio procedit non eſt Deus, cum non ſit principium primum. Reſpondet Doctor Sanctus proceſsionem intelligibilem non repugnare primo principio; nam primum principium, quod eſt quaſi artifex rerum, habet res omnes in ſe ipſo præconceptas; quæ conceptio intelligibilis in Deo eſt ipſum Verbũ procedens. Et benè quidèm oſtendit primo principio non repugnare, imò conuenire conceptum intelligibilem rerum faciendarum, quod eſt verbum: Sed quòd verbum poſsit in Deitate ipſa procedere reali proceſsione; non commonſtrat. Quare dicendum eſt de primo principio, vt modò differebamus de ente primo; nam id quod eſt primum principiũ nõ poteſt procedere ab alio primo principio, cum ſit vnum principium primum rerum omnium, ſcilicèt Deitas: ſed perſona, quę eſt primũ principium, poteſt procedere ab alia perſona in eadem eſſentia, ita vt duæ perſonæ ſint vna eſſentia, & ſint vnum principium, ſicut ſunt vnus Deus. Ad confirmationem reſpondetur eum, qui per natiuitatem eſt, non eſſe per ſe, id eſt, per ſuam perſonam, ſicut non à ſe, id eſt, non à ſua perſona: eſt tamen per ſe, id eſt, per ſuam eſſentiam, & hoc eſt primum ens.

*S. Thom.* 1. argumentũ aliter proponit

Reſpondet. Proceſsio intelligibilis nõ repugnat, imò cõuenit primo principio.

Reſponſio authoris, vt ſuprà de primo ente

Ad confirm.

Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens, quòd generatio diuina ſit mutatio; nam generatio diuina non conuenit in genere cum generatione creata, quia hæc eſt mutatio, illa verò mutatio non eſt, ſed ſine motu emanatio; ſicut ſcientia diuina non conuenit in genere cum ſcientia creata, quia ſcientia creata eſt qualitas & habitus, ſcientia autem diuina eſt ipſa ſubſtantia: generatio autem, vt commune analogum ad diuinam, & creatam generationem, non includit actu in ſuo conceptu mutationem. 20.

Ad 2.

Generatio diuina non conuenit in genere cũ creata, ſed in analogo.

Ad tertium reſpondetur ſimilitèr negando antecedens, quòd generatio diuina ſit res media inter generantem, & genitum; nam etſi ordine cognitionis ſit actus medius inter perſonam à qua alia procedit, & perſonam quæ procedit, vt poſteà dicemus; tamen re ipſa non eſt actus medius quaſi res media; quia in Deo nihil eſt prius, aut poſterius, & omnia ſunt vnum eſſe diuinum. Eſt etiam aliud diſcrimen, quia in rebus creatis generatio quę eſt actio, & quæ eſt paſsio, eadem mutatio eſt, & exiſtit in ſubiecto generationis, eſtque extra agens. At verò in Deo generatio, quæ eſt actio, ſeu actiuè ſignificata manet in generante, & eſt 21.

Ad 3. In Deo nil medium in re ipſa vt nec prius, aut poſterius.

Deindè in Deo generatio actiuè ſig-

nificata eſt Pater, paſsiuè eſt Filius.

eſt ipſa perſona Patris; generatio verò paſsiuè ſignificata, ſeu natiuitas non trãſit in perſonam genitam, ſed eſt ipſa perſona genita: quarè re ipſa nihil eſt medium inter vtramque perſonam, rationis autem ordine medium eſſe nihil prohibet, vt diximus. Et conſentanea dicẽda ſunt de proceſsione Spiritus Sancti. A

22. Ad 4. Reſpond. 1.

Ad quartum reſpondetur concedendo maiorem propoſitionẽ, quòd in Deo nihil eſt melius, aut maius; diſtinguimus verò minorẽ, quòd melius ſit dare quàm accipere: melius enim eſt dare quàm accipere, cum is qui dat bona communicat agendo in aliud; nam communicare ſe, agendo, eſt bonum excellentis; agens enim nobilius eſt quàm paſſum. Præterea ſi id ipſum quod habet quis, det alteri, eo ipſo bono quod dat non erit melior is qui dat, quàm is qui accipit; repugnantia enim eſt in verbis, quod idem bonum alter accipiat, & eodem bono alter ſit melior. Melius enim eſt, quod eſt altero bono melius; eodẽ ergo bono melior quis altero eſſe nequit. Et ita Pater dans & Filius accipiens æquè boni ſunt, & infinitè boni, quia filius accipit idem bonũ, quo Pater bonus eſt. Vndè S. Hilarius lib. 9. de Trinit. ait minorem filium non eſſe, cui idem eſſe donatur. Si autẽ illud Theorema ad mores referatur, ex propria ratione melius eſt dare, quàm accipere; dare enim eſt magnifici & liberalis, accipere autẽ non eſt ex natura ſua opus ſtudioſum, ſed quod poſsit eſſe decorum & indecorum, turpe, aut honeſtum. Hoc autem dare eſt liberum, & non naturale, de quo modò non agimus, ſed de ijs quæ per naturã dantur aut accipiuntur; quia generatio diuina non eſt libera, vt hoc libr. dicemus. B C

Melius eſt dare agẽdo, quã accipere patiẽdo.

Reſpond. 2.

Melius eſt quod eſt altero bono melius.

*S. Hilar.*

Quoad mores dare liberum ex propria ratione melius eſt quàm accipere. Probatur.

23. Ad 5.

Ad quintum reſpondetur concedendo antecedens in rebus creatis, in quibus, quia eſſe diſtinguitur ab eſſentia, is qui accipit capax eſt rei acceptæ, & eſt ſubiectum habens potentiam paſsiuam. Perſona verò diuina, quæ nõ accipit eſſe in eſſentia, ſed accipit eſſe ſubſiſtẽs, quod eſt ipſa eſſentia; propriè non eſt capax, ſeu apta accipere, vt capacitas, & aptitudo receptaculum quoddã ſignificant: neque ſuſcipit, aut recipit, aut excipit, ſed ſimpliciter accipit, hoc eſt ab alio habet ipſum eſſe ſubſiſtens. De qua re ſolertius diſputabimus ad finẽ huius libri. D

Perſona diuina accipit eſſe ſubſiſtẽs, hoc eſt, ipſam eſſentiam: non verò eſſe in eſſentia, vt in ſubiecto, nec ad hoc eſt capax.

Nec ſuſcipit, aut recipit, aut excipit.

24. Ad 6.

Ad ſextum reſpondetur concedendo antecedens cum S. Thom. q. 10. de Potentia art. 1. ad 16. quòd perſona diuina ad hoc procedit vt ſit, quod idem affirmat Marius Vict. libr. 1. contra Arium; quod tamen aſſertum explicandum eſt; ſi enim ſignificetur finalis cauſalitas, falſum eſt; nam operationes diuinæ non ſunt propter finem, ſed ipſe Deus eſt finis aliarum operationum. Deindè ſi ſenſus ſit quòd perſona procedit accipiendo naturam ad hoc, vt exiſtat, quaſi ſecundum naturæ proceſsionem tranſeat ad exiſtentiam, vt ad terminum vltimũ, quod in rebus creatis accidit, falſũ etiã hoc eſt: nam vt modò obſeruabimus, perſona diuina per hoc ipſum, quòd ſecundum naturam procedit, exiſtit, cum exiſtentia in Deo ſit ipſa natura, & non complemẽtum naturæ adiectum, vt terminus vltimus. Si verò ſit ſenſus quod exiſtentia ſicut & eſſentia eſt terminus diuinæ proceſsionis, hoc verum eſt; & in hoc ſenſu verum eſt, quòd perſona diuina procedit vt exiſtat, quia perſona diuina ad hoc procedit vt exiſtat, ſicut ad hoc procedit, vt ſit Deus. In quo etiam ſenſu verum eſt quod accipit exiſtentiã, non quòd illam accipiat in eſsẽtia quaſi in ſubiecto, ſed accipit exiſtentiam ſubſiſtentem, quæ eſt ipſa eſsentia. Quibus datis nullo pacto cõficitur, quòd habeat cauſam efficientem; cauſa enim efficiens operatur in ſubiectum, in quo exiſtentia ab eſsentia diſtinguitur, & in illa recipitur. Ad confirmationem reſpondetur, quòd res creatæ, præciſa acceptione ita vt re ipſa nihil accipiant, nihil ſunt; accidit eis tamen accipere quando producuntur; ſed quia id quod accidit, non cõtinetur in conceptu rei; res ipſæ creatæ præciſa acceptione non ſunt purum nihil, hoc eſt, non apprehenduntur omninò vt nihil, ſed vt res poſsibiles, quibus poteſt accidere vt accipiant, & vt exiſtant. Perſona verò diuina, quæ procedit ab alia, ex propria intimaq; notione eſt accipiens, & procedens, quia in conceptu perſonæ diuinæ perfectò continetur diuina proceſsio, vt poſteà dicemus: quare neque re ipſa, neque ratione poteſt ab ea ſeparari acceptio, ſicut neque proceſsio. Sicut enim Petreitas non poteſt ſeparari cogitatione à Petro; ita neque natiuitas à perſona, quæ dicitur Filius Dei, ita vt intelligatur hæc perſona

Explicatur hoc aſſertum. *S. Thom.* *Mar. Vict.* Perſona diuina ad hoc procedit, vt ſit, ſeu exiſtat.

1. ſenſus falſus de cauſalitate finali.

2. ſenſus falſus de tranſitu ad exiſtentiã recipiendam, vt in creatis.

3 ſenſus verus de proceſsione ad exiſtentiam ſubſiſtẽtem, id eſt, ad eſſentiã, vt ad terminum.

Ad confirm. Res creatæ, præciſa acceptione in re ipſa nihil ſunt, ſed non purũ nihil, hoc eſt, non omninò apprehenduntur vt nihil, ſed vt res poſſibiles.

In conceptu perſonæ diuinæ perfectò cõtinetur diuina proceſsio, & acceptio, nec poteſt ab eo præſcindi re, aut ratione.

eadem, & non accipiens naturam à Patre. Cum ergo ais, id quod accipit eſſe ab alio, ſi conſideretur præciſa acceptione, eſt non ens; concedo aſſumptum: ſed Filius Dei non poteſt conſiderari præciſa acceptione per negationem, vt intelligatur perſona Filij, & quòd non accipiat eſſe; cum iſta acceptio pertineat ad intelligentiam, & propriam rationem Filij Dei; & idcircò negatur conſequentia, cum colligitur, hæc perſona ſecundũ ſe, vel ex proprijs eſt non ens: firmiſsimè (inquam) hoc negamus; nam hęc perſona ex proprijs eſt accipiens eſse, & habens eſse ab alio; non poteſt ergo cogitari quòd ſit non ens, cum ex intima notione huius perſonæ cogitetur vt habẽs eſse ab alia perſona.

*Perſona diuina procedens non poteſt cogitari non accipiens eſſe, & conſequentèr non ens.*

25. Inſtantia.

Quòd ſi inſtes. In rebus creatis de intrinſeca ratione geniti eſt, vt accipiat eſſe ab alio, nam genitum eſt, quod ab alio accipit eſſe; & tamen ipſum eſſe genitum eſt ens creatum, hoc ipſo quòd accipit eſſe ab alio. Reſpondendum eſt cauillationem fieri in amphibologia; vt ſi arguas, de intrinſeca ratione exiſtentis eſt vt exiſtat, etiam in rebus creatis; ergo eſſe exiſtens non eſt quid creatum. C Hæc enim omnia exiſtens, genitum, ſiue accipiens eſſe, in rebus creatis intelliguntur quidèm ſuis proprijs conceptibus, à quibus non poſſunt ſeparari, vt exiſtens non ſit exiſtens, aut genitũ non ſit genitum; & in hoc ſenſu procedit argumentum. Sed hæ ipſæ rationes conceptæ, ſi comparentur cum rebus quibus conueniunt, accidunt illis: nam Petro accidit eſſe genitum. Perſonæ autem diuinæ non accidit eſſe genitum, & Filium: ſed proprio ſuo conceptu eſt Filius, & genitus.

*Reſponſ.*

*Detegitur cauillatio in amphibologia.*

*Etiam in rebus creatis de intrinſeca ratione exiſtentis, eſt exiſtẽtia; geniti, eſſe genitum; & accipientis eſſe, acceptio. Tamen accidunt Petro. Non verò perſonæ diuinæ.*

26. Ad 7.

Ad ſeptimum reſpondetur concedendo antecedens in rebus creatis, in ijs D enim, in quibus eſſe eſt diſtinctum ab eſſentia, oportet vt id quod procedit diſtinguatur naturâ & eſſentiâ à ſuo principio, vt diximus: non autẽ in Deo, vbi eſſe & eſſentia idem ſunt. Ad confirmationẽ reſpondetur, quòd in generatione rerũ creatarum, quia generans & genitum naturâ, ſeu eſſentiâ diſtinguuntur; oportet vt neutrius ſit tota natura ſpeciei, ſecundum quod naturã ſpeciei conceptu mẽtis apprehendimus. In generatione verò viuentium, pars etiam materiæ deciditur à generante in ſemine, & non tota

*Ad confirm.*

*In generatione creata tota eſſentia ſpeciei non communicatur.*

*Imò nec tota materia.*

A materia. At verò in Deo vna & eadem eſſentia generantis communicatur genito, eademque ſimpliciſsima non habens partes: quare tota eſſentia communicatur, quod ad finem huius libri fuſiùs tractabimus ex Patrum ſententia.

*In diuina generatione tota eſſentia communicatur.*

27. Ad 8.

Ad octauum reſpondetur, in generatione diuina nihil eſſe nouũ, aut inchoatum, quia eſt æterna, vt poſteà docebimus: quare abſtinendum eſt à verbo incipiendi, & præexiſtendi; quia neque eſſentia præexiſtit in Patre, neque incipit eſſe in Filio. Alia eſt difficultas quæ ar- B gumento tangitur; quòd ſcilicèt in generatione, natura, quæ eſt in Patre, communicetur Filio, ita vt ſit in Filio; Deitas verò videtur non eſſe in Patre, aut in Filio, ſiquidèm in ſe ipſa eſt, & ſubſiſtit. Ita opinatur Robertus Bellarmin. lib. 2. de Chriſto cap. 15. §. Ad 1. Sed hoc eſt falſũ, tum quia nihil propriè eſt in ſe ipſo, licèt ſubſiſtat: tum maximè, quia Deitas etſi ſubſiſtat per ſe, tamen eſt forma perſonarum; & eſt in perſonis, vt lib. 4. docebimus. Et hoc eſt ſatis perſpicuum; Pater enim in Deitate eſt Deus, & eſt Deitas in Patre, ſicut eſt in Patre conſilium, & fortitudo. Et ita refutatur facilè argumentum, negando quòd Deitas ſit in ſe propriè loquendo, ſed eſt potiùs in Patre, & per originem in Filio. Præterea ſolutio argumenti adhibita à Bellarmino nulla eſt, vtpotè quæ falſis adnititur; ait enim vnam & eandem eſſentiam, quę in ſe ipſa eſt, & non in alio, per hoc communicari, quia eadem quæ eſt in ſe vno modo, eſt iterùm in ſe nouo modo, ſcilicèt incommunicabilitèr, adhibita filiatione. Videtur enim conſtituere vnum ſubſiſtens, ſcilicèt eſſentiam, quod ſubſiſtat incommunicabile, additis relationũ proprietatibus; quod lib. 4. oſtendemus falſum eſſe: neque enim eſt vnum ſubſiſtens incommunicabile, ſcilicèt eſsentia in ſe ſubſiſtens, vt quidam crediderunt; ſed tria ſubſiſtentia incommunicabilia, ſcilicèt tres perſonæ, quod eſt demonſtratione clariſsimum, & dogma fidei indubium? Forſitan Bellarm. ſenſit eſſentiam diuinam eſse ſemper in ſe, & nunquam in alio, hoc eſt, non pendentem ab alio: & cum communicatur, incipere eã eſse in ſe nouo modo (hæc enim ſũt eius verba) quia etiam communicata non pendet ab aliquo, ſed ſemper ſubſiſtit. Et libet ſanè virũ in dogmatis tractan-

dis

*Eſſentia non præexiſtit in Patre, nec incipit eſſe in Filio.*

*Difficultas in argumẽto tacta.*

*Contra Bellarm.*

*Deitas non eſt in ſe propriè; ſed in perſonis.*

*Probatur primum.*

*Probatur ſecũdum.*

*Soluitur octauum argum.*

*Bellarmini ſolutio reijcitur.*

*Non eſt ſubſiſtẽs quod ſubſiſtat incommunicabile additis relationum proprietatibus; ſed tria eſſe ſubſiſtentia incommunicabilia dogma eſt fidei.*

*Bellarmin. beneuolè explicatur.*

dis eruditiſsimum beneuolè explicare.

28.
Ad 9.
In angelis nō ditur generatio materialis, ob eorum perfectionem.
Nō ſubſtātialis extra materiam, ob limitationem.

Ad nonum reſpondetur, quòd generatio quæ eſt in materia, eſt mutatio, & imperfecta; & ideò hoc ad angelorum excellentiam pertinet, quòd in eis non ſit generatio materialis. Quòd verò in eis non ſit generatio extra materiam, à diuina excellentia deficiunt; quia hæc generatio, quæ eſt formæ ſubſiſtentis, in ſola infinita eſſentia inuenitur, vt ſit generatio extra omne ſubiectū, & ab omnī paſsiua potentia ſeiuncta, qua communicetur forma ſubſiſtens nō in ſubiecto exiſtens. Negamus igitur propoſitionē, idcircò in angelis non eſſe generationē, quia ſunt nobis perfectiores; hæc enim eſt cauſa, vt non ſit in eis generatio materialis: ſed vt non ſit in eis generatio ſubſtantialis extra materiam, cauſa eſt imperfectio naturæ illorum creatæ.

29.
Ad 10.

Ad decimum reſpondetur concedendo antecedens, quòd in Deo eſſentialia non ſunt diſtincta; negamus verò conſequētiam de Verbo, & Amore producto, quæ ſunt diuinæ perſonæ. In Deo autem non eſt neceſſarium verbum, aut amor vt eſt dilectionis terminus, ad hoc vt Deus intelligat, & diligat; & idcircò non ſunt eſſentialia, ſed perſonalia, vt dicemus. Nam quæ ſunt eſſentiæ neceſſaria, omnia ſunt eſſentialia; verbum autem & amor procedens per dilectionem ſunt perſonarum nomina, non eſſentiæ. Sunt autē hæc neceſſaria propter proceſsiones diuinas; ideòque etiam eſt neceſſe, vt ſint res diſtinctæ, Verbum & Amor procedens, & Pater à quo vtraque perſona procedit: ſine diſtinctione enim nō eſt proceſsio, quod inferiùs eſt nobis luculentiùs explicandum.

Quæ ſunt eſſentiæ neceſſaria, omnia ſūt eſſentialia.

Verbum, & Amor ſunt neceſſaria propter proceſsiones, & ideò diſtincta.

30.
Ad argument. Arij.
Paternitas eſt proprietas perſonalis, ideoq; incommunicabilis.
Arius abiectè ſentiēs de Deo vt de creatura.

Argumentum Arij apud S. Athanaſ. lib. 3. & 4. expendendum erit, vbi oſtendemus paternitatem in Deo non eſſe eſſentiam, aut naturam, ſed proprietatē; & idcircò non poſſe cōmunicari aimus, ſicut proprietas perſonalis Petri eſt incommunicabilis. Nihil verò indignius Deo potuit dicere Arius, quàm vt negaret diuinam proceſsionem, quia ſimilem non inueniebat in rebus creatis; quaſi neceſſe ſit rerum diuinarum exemplum habere in humanis. Cui rei benè conueniunt verba Sancti Hilarij libro 12. de Trinitate. *Quid caducis, & terrenis, & anguſtis diuina, & infinita concludis?*

S. Hilar.

A

## CAPVT XI.

*Proceſsionis diuinæ notionem ſola fide conſequimur.*

1.

PRobatum ſatis eſt, & confirmatum lib. 1. myſterium Trinitatis rationē naturalem non capere; eademque eſt ratio de diuina proceſsione, in qua à nobis obſeruantur ingentes difficultates; ab ijſque vix nos expediuimus cap. præcedente, dum argumenta oppoſita confutauimus; & maiores occurrent toto hoc libro. Illud verò præcipuè maximèque ſuperat hominis intelligentiam, quòd in B hac proceſsione, ſola ſit diſtinctio perſonarum; natura verò communicata ſit eadem: cuius doctrinæ ſublimitatem ſatis lib. 1. commendauimus.

Poſitio maximè ſupra nos, quòd ſint plures perſonæ eiuſdem diuinæ eſſentiæ.

2.

Sed adhùc ſunt nonnulli Theologorum, qui etſi (vt æquum eſt) eos arguant, quia aſſeruerunt proceſsionem diuinam poſſe deprehendi naturali cognitione: aiunt tamen dato aliquo principio, aut hypotheſi, ſcilicèt quòd ſint plures perſonæ eiuſdē diuinæ eſſentiæ, poſſe exindè oſtendi perſonas eſſe plures, non ob aliam rationē, niſi propter diuinas proceſsiones. Sed profectò etiam hac data C poſitione quòd ſint plures diuinæ perſonæ, nihil ratio naturalis poſſet ſuſpicari de proceſsione, ſed ſola admiratione, & ſtupore teneremur nihil indè conicctantes. Imò etſi poneremus diuinam naturam eſſe internæ proceſsionis principium, vt Verbi proceſsionem ſuſpicaremur; eam tamen eſſe veram generationem, ita vt Verbum eſſet Filius verè genitus, nequaquam crederemus; niſi & hoc Deus nobis aperiret, credendumq; proponeret.

Hac data, quidam aiunt poſſe nos exindè ſuſpicari eſſe proceſsiones diuinas.
Reijciuntur.

Etſi Verbi proceſsionem ſuſpicaremur, eā tamen eſſe veram generationem non crederemus, niſi & hoc Deus reuelaret.

3

At verò de proceſsione Spiritus Sancti, quæ ſuſpicio potuit nobis inijci à na- D tura? Cum ipſa amoris dimanatio, vt per dilectionem noſtram amor procedat, apud paucos fidem habeat. De qua re hoc libr. diſſeremus. Cum ergo proceſsionem amoris in rebus creatis non valeamus demonſtrare, ex iſta proceſsione amoris, quæ in nobis incerta eſt, nihil certum poſſumus de proceſsione Spiritus Sancti per demonſtrationem deducere. Deindè quomodò hæc proceſsio Spiritus Sancti diſtinguatur à generatione Filij, etiam poſitis omnibus principijs theologicis, vix poſſumus dignoſcere

Proceſsionis Spiritus Sācti demonſtratio, imò ſuſpicio naturalitèr im poſsibilis.
Probatur. 1.

Probatur. 2.

cere cum veriſimilitudine; ne dicam poſſe nos vtriuſque proceſsionis diſcrimen euidentèr oſtendere ex ſolis principijs naturæ notis. Dicendum igitur eſt cum S. Thoma 1. p. q. 32. artic. 1. ad 2. proceſsiones diuinas eſſe poſitiones quaſdã Theologas in hac materia tales, vt cum ratione naturali non pugnent apertè; ſicùt Aſtrologi in conſtitutione motus planetarum, quem docent, ſoluũt oppoſita argumenta, ſed non poſſunt demonſtrare eum eſſe aſtrorum motũ.

*S. Thom.* Proceſsiones diuinæ ſũt poſitiones Theologæ tales vt cum ratione naturali non pugnent apertè. Exemplum poſitionũ aſtrologorum.

4\. Certum ſit igitur diuinam proceſsionem non accipi, aut deprehendi ratione naturali; cum neque in ſuſpicionem poſsit venire, niſi Deus nobis hanc veritatem aperuiſſet per fidem. Qua propoſita non ſolùm argumenta quæ obijciuntur, refellere, ſed congruas etiam rationes poſſumus adducere, non vt illis veritatem euidentèr cõmoſtremus, ſed quibus fidem noſtram aliqua ex parte firmemus: quod agit Richard. de Sanct. Victor. lib. 3. de Trinitat. cap. 4. elegantiſsimè. Similia dicit S. Auguſtin. lib. 3. contra Maximinum capit. 7. quòd ſi Deus non potuit generare Deum, eſt infirmus; ſi potuit & noluit, eſt inuidus. Et S. Athanaſ. libr. 2. contra Arium, ex eo quòd fæcunditas eſt perfectio naturæ, & perfectio eſt animantis generare, diuinã generationem indicat. Et S. Greg. Nazianz. oratione ad Heroem, affirmat Deitatem anguſtam, & inualidam, ſi deſit generatio. Hæc enim omnia veriſsima ſunt; ſed ea ſunt, quæ natura duce attingere non valemus niſi à Deo moniti & edocti: quare ſicut Trinitatis beatiſſimæ non eſt expreſſa imago, ſed obſcura in rebus creatis; ita neque diuinæ proceſsionis par exemplum.

Propoſita ſide congruæ ſuppetunt rationes, quibus eã firmemus.

*Richar.* *S. Aug.* *S. Athanaſ.* *Nazianz.*

In creatis, ſicut Trinitatis non eſt expreſſa imago, ita neq; diuinę proceſſionis par exemplum.

5\. Confirmatio huius veritatis à libr. 1. petenda eſt, vbi ex Patribus multa adduximus teſtantibus eſſe diuinam generationem, & proceſsionem incomprehenſibilem; quod idem hoc libro per occaſionem datam confirmabitur, illis verbis elucidandis. *Generationem eius quis enarrabit?*

Confirmatio à lib. 1. petẽda.

## CAPVT XII.

### *Argumenta refelluntur.*

1\. QVòd diuina generatio, ſiue proceſsio poſsit ratione noſtra deprehendi arguitur primò, quoniam naturali cognitione ſcimus nihil deeſſe Deo perfectionis; ſed perfectum eſt quod poteſt facere alterum quale ipſum eſt, teſte Ariſtotel. 4. Metaph. text. 16. ergo hæc perfectio non eſt Deo negãda; Deus autem non poteſt Deum efficere, ſed tamen procedere Deus à Deo poteſt; ergo proceſsio Diuina naturali ratione apprehenditur tanquam Dei perfectio maxima; quod teſtatur Sãct. Cyrillus lib. 1. Theſauri. *Pulcherrima enim atq; præſtantiſsima res eſt naturalis actio, ſiue operatio.* Et confirmatur verbis S. Auguſtin. lib. 3. contra Maxim. vbi ait futurũ fuiſſe, aut infirmitatis Dei ſi nõ potuit generare; aut inuidiæ, ſi id quod potuit non voluit. Quo argumento conuictus Richardus libr. 3. de Trinitat. cap. 7. ne aut infirmitatem, aut crimen ineſſe Deo confiteretur inuidiæ, credidit planè commonſtrari diuinam generationem.

1\. argum. *Ariſtotel.* *S. Cyrillus.* Confirmatur argumento *S. Auguſt.* *Richard.* hoc argumẽto conuictus credidit planè cõmonſtrari diuinam generationem.

Secundò, omnipotentia Dei eſt nobis naturalitèr nota; ſed in ipſa continetur potentia generatiua, qua Filius procedit à Patre; ergo hæc proceſsio eſt demonſtrabilis naturalitèr, & à priori. Et idem argumentum eſt de proceſsione Spiritus Sancti. Et confirmatur, quia noſtra generatio eſt quædam participatio diuinæ generationis, ſicut noſtra ſapientia diuinæ ſapientiæ; ergo ſicut ex iſta participatione ſapientię indagamus ſapientiam diuinam; ita ex generatione generationem.

2\. 2. argum. Confirmatur.

Tertiò, bonũ eſt diffuſiuum ſui, & infinitum bonum infinito modo, quod etiam ratio naturalis oſtendit; ſed nullus eſt modus alius infinitus, quo bonum infinitum ſe diffundat, & ſe communicet, niſi in diuina proceſsione; nam omnis alia proceſsio ad creaturas eſt finita; ergo naturalitèr notum eſt Deum intra ſe communicare ſe ipſum per diuinas proceſsiones.

3\. 3. argum.

Quartò, ad perfectionem quãuis ſi addatur neceſsitas, perfectior erit ipſa perfectio; perfectior enim ſapiens eſt, qui neceſsitate naturæ ſapiens eſt, vt angeli: ſed communicare ſe eſt perfectio; ergo communicare ſe neceſſariò, eſt quid lõgè perfectius: Sed Deus per ſolas proceſsiones diuinas communicat ſe neceſſitate naturæ; ergo hæc perfectio eſt naturalitèr nota. Confirmatur quoniam proceſsio naturalis eſt ipſius naturæ pro

4\. 4. argum. Confirmatur.

prijſsima

prijſsima; ſed omnis proceſsio Dei ad A creaturas eſt ſolùm libera; ergo non eſt Deo neganda naturalis proceſsio in ipſo Deo manens.

10. 5. argum. Quintò, intellectus ex natura ſua producit verbum, & productio Verbi non includit aliquam imperfectionem, vt in Deo negetur; ergo in ipſo Deo eſt Verbi diuini proceſsio per intellectionem, & per dilectionem proceſsio amoris.

11. Vltimum argum. Sextò, & vltimò arguitur, Diuina proceſsio habet exemplum aſsimile in rebus creatis; & præter ea, quæ attulimus lib. 1. cap. de imagine, vſitatum eſt apud Patres exemplar illud, quo vtitur Abbas Panormitanus capit. *Damnamus*. Quòd ſicut fax totam ſuam lucem tráſfert in aliam facem, & totam retinet; ita & Pater totam naturam diuinam Filio generando dedit, & totam retinuit. Et Concilium Epheſin. vtitur pluribus ſimul exemplis, *Coexiſtere ſemper æternū Patri Filium, ſplendor tibi demonſtret; Impaſsibilitatem natiuitatis, oſtendat Verbum; conſubſtantialitatem, Filij nomen inſinuet.* Sed res ea quæ habet exemplum, poteſt per illud percipi; ſimilitudo enim eſt cauſa intelligendi; ergo diuina proceſsio ratione naturali inueſtigari poteſt.

*Panormit.* exemplum de face.

*Cōc. Epheſini* exempla.

Similitudo eſt cauſa intelligẽdi.

*Reſponſio.*

12. Ad primum. AD refellenda argumenta hæc, non eſt opus vlla aduertenda præcurrere. Ad primum ergo reſpõdetur, quòd virtus agentis eſt quædam potentia, quę reſpicit poſsibile; vbi ergo inuenitur, & deficit potentia, imperfectum eſt quod potentia caret; ſicut puer ex imperfectione non habet virtutem generandi, quam adultus conſequitur: quòd autem ſol non poſsit generare alium ſolem, nõ eſt imperfectio ſolis; quia ſol nõ eſt gene D rabilis. Igitur adhoc vt ratione naturali oſtendamus imperfectionem Dei eſſe quòd non generet, priùs oſtendendum eſt hoc eſſe poſsibile, vt Deus generet: nam ſi poſsibile eſſet, defectus eſſet potentiæ, quòd non generaret; ſicut ſi alia Deitas eſſet poſsibilis, ſi Deus hic nequiret Deum alium cõdere, eſſet virtute diminutus: pertinet autem ad potentiam Dei, vt quicquid poſsibile eſt, poſſit. Explicatur ergo theorema Ariſtotelis, Perfectum eſt quod poteſt facere alterū quale ipſum eſt, ſi id facere ſit poſſibile.

Quòd angelus non poſsit generare aliū angelum, non eſt imperfectio angeli.

*Ad Ariſtot.* Perfectum eſt quod poteſt facere alterū quale ipſū eſt, explicatur, ſi id facere ſit illi poſſibile.

Ad confirmationem reſpondetur infirmitatem futuram fuiſſe in Deo, ſi nõ poſſet generare; ſed hoc nos non nouimus niſi poſtquam credimus poſſe illum generare: quod ſine fide noſſe fuerat impoſsibile. Concedo igitur antecedens aſſertum à Patribus, quòd Deus eſſet impotens ſi generare non poſſet, quia generare poſsibile eſt Deo; ſed quòd ſit poſsibile, non conſtat ratione naturali; & ita neque potentia, neque perfectio generandi comprehenditur; aut defectus potentiæ, ſi non generaſſet.

Ad confirmat. Quòd generare ſit Deo poſſibile, non conſtat ratione naturali.

13. Ad 2. argum. Reſpond. B Ad ſecundum reſpondetur concedẽdo maiorem propoſitionem, quòd naturalitèr nouimus omnipotentiam Deo ineſſe; ſed poſsibilia non nouimus, quæ ſunt ſupra naturam; & longè ampliùs ignoramus poſsibiles eſſe diuinas proceſſiones. Eſt autem futilis conſequentia, nouimus in Deo eſſe omnipotentiam; ergo nouimus cuncta, quæ in omnipotentia continentur; hoc enim non eſt vtcunque noſſe, ſed cõprehendere omnipotentiam: præterquàm quòd negamus potentiam generandi in Patre, cõtineri in diuina omnipotentia, vt poſteà docebimus. C Ad confirmationẽ ſunt qui negant antecedens, ſcilicèt generationem creatam eſſe exemplatam à diuina; quia, inquiunt, exemplar vt ſic, eſt quid perfectū quod eſt cauſa exẽplati: generatio verò diuina vt ſic, nõ eſt perfectio (ita enim ſẽtiũt) & idcircò nõ eſt exemplar. Quare negãt aſsũptū, ſcilicèt quòd noſtra generatio ſit quædã participatio diuinę generationis. De qua re diſputabimus tom. 2. quæſtione de Ideis. Dicẽdum tamen eſt noſtram generationem eſſe exemplatam à diuina, quæ formalitèr perfectiſsima eſt, vt libr. 3. docebimus: non tamen conſequitur, vt per illam cognoſcamus diuinam; quia in noſtra generatione ſunt multæ impefectiones, quas Deo nõ poſſumus attribuere; neque nouimus, niſi duce fide, cogitare generationem reiectis imperfectionibus, vt ſcilicèt ſit in natura eadem, ſine cauſalitate, &c.

Non nouimus naturalitèr poſſibilia ſupernaturalia.

Reſpõdetur 2. Non ſequitur poſsibilia cognoſci cognita omnipotentia.

Reſpond 3.

Ad confirm. Reſponſio quorundam.

Vera reſpõſio. Diuina generatio eſt exẽplar noſtræ, & eſt perfectiſsima.

Sine fide non cogitatur generatio, reiectis imperfectionibus.

14. Ad 3. Reſpnd. 1. Ad tertium reſpondetur explicando maiorem propoſitionem, quòd bonum eſt diffuſiuum ſui in genere cauſæ finalis, quatenùs omnia ad ſe trahit. Secundo. Quatenùs verò bonum idem eſt quod perfectum, diffundit ſe, hoc eſt, communicat ſe in genere cauſæ efficiẽtis. In quo

ſenſu

Modus diuinæ operationis etiam ad extra, eſt vndequaq; infinitus.
Probatur 1.

ſenſu argumentum nobis intenditur. A Modus ergo diuinę operationis etiã in rebus creatis eſt vndequaque infinitus: nam ſiue operetur Deus per ſe ſolum; quòd à nullo pẽdeat in operatione ſua, eſt virtutis infinitæ: ſiue operetur adminiſtris alijs agentibus creatis; quòd moueat Deus cætera agentia, etiam eſt virtutis infinitæ.

Probatur 2.

Maximè verò quòd omnia poſsibilia referantur ad diuinam potentiam, eſt euidens argumentum infinitæ potentiæ. Et hæc ſunt naturali ratione nobis nota, propter quæ infinitam potentiam, ſeu virtutem in Deo naturę ductu cognoſcimus. Negatur ergo B minor propoſitio, quòd nullus alius modus diuinæ operationis ſit infinitus. Et ad probationem; cũ dicitur, omnis proceſsio ad creaturas eſt finita: Reſpondendum eſt, proceſsionem ad creaturas eſſe actionem tranſeuntem, quæ finita eſt: modus tamen operandi dicitur infinitus; quia indicat infinitam virtutem agentis.

Ipſa operatio, ſeu proceſsio ad creaturas, eſt tranſiens, & finita.

15.
Inſtantia.

Quòd ſi obijcias; intellectus noſter eſt infinitus, quia ſucceſsione quadã, & viciſsitudine poteſt intelligere infinita, & ita dicitur infinitus paſsiuã quadam potentiã, cum non poſsit actu, & ſimul infinita intelligere, ſed ſucceſsione vnũ poſt aliud, C ſecundum quod eſt in potentia paſsiua: ſed potentia Dei non poteſt efficere infinita ſimul, ſed ſucceſsione & vnum poſt aliud; ergo potentia Dei efficiens, ſeu virtus eſt infinita ſecundũ quod eſt in potentia paſsiua, quod infinitum eſt imperfectum: Deus autem eſt infinitus non potentiã, ſed actu; ergo aliud opus diuinum naturali ratione deprehenditur, vnde dicatur potentia diuina actu infinita, quod opus aliud non eſt, niſi diuina proceſsio.

16.
Reſpond. 1.
Infinita ſimul poſſunt intelligi.
Non poſſunt ſimul fieri.

Reſpondetur negando primam conſequentiam, in qua colligitur potentiam D Dei eſſe finitam. Nam intelligere infinita ſimul poſsibile eſt; vnde intellectus creatus deficit à perfectione hac, eò quòd non poteſt ſimul intelligere infinita, vt Deus intelligit: At verò fieri infinita ſimul impoſsibile eſt; quare hoc nõ pertinet ad potentiam infinitam.

Reſpond. 2.
Potentia Dei eſt actu infinita.
Oſtenditur 1. quia non eſt terminus actu finit⁹, vltra quẽ nihil poſsit.

Præterea omnis potentia creata finita eſt quoad numerum eorum, quæ ſimul fieri poſſunt: potentia verò diuina infinita; quia nullus eſt numerus rerum, quo propoſito non poſsit efficere ſimul numerum maiorem, & ideo eſt actu infinita: nam omnis potentia actu finita reſpicit aliquem terminum actu finitum, vltra quem nihil poteſt: ergo potentia Dei quæ nullo deſcripto termino cõtinetur, non eſt actu finita: eſt ergo actu infinita. Et hæc à nobis naturali rationis vi perſpiciuntur.

Oſtenditur 2. ex creatione naturaliter nota.
S. Thom.

Argumentum eſt etiam infinitæ potentiæ Dei opus creationis, vt omnes ferè Theologi cenſent, quicquid alij opinentur, quod docet S. Thom. 1. p. q. 44. art. 5. Creatio autem ratione naturali eſt nota, vt colligitur ex eodem S. Thom. q. illa art. 2. vbi comprobat apertiſsimè neceſſarium eſſe quædam etiam creari, ex quibus alia, quæ non creantur, fiant; aliàs illa priora ex quibus alia fiunt, non eſſent à Deo producta, quod eſt impoſsibile. Ergo creatio, quam priſci Philoſophi ignorarunt, ratione naturali nota eſt; eaque luculentiſsimè oſtendit infinitam Dei potentiam.

17.
Oſtenditur 3. ex operibus ſupernaturalib⁹.

Alia etiam ſunt opera præter diuinas proceſsiones, quæ infinitam Dei potentiam oſtendunt, vt miracula, & quæ ad gratiam Dei conducunt: ſed hæc nõ ſunt nobis naturali ratione nota, vnde probemus potentiam Dei infinitam philoſophica demonſtratione, ſed duntaxat fide tenentur. Quare argumentum per hæc non deluditur, ſed per ea quæ modò diſputauimus.

18.
Ad 4.
Communicare ſe ad extra, nõ eſt pfectio Dei neceſſaria.

Ad quartum reſpondetur concedendo maiorem propoſitionem, quòd illa eſt perfectior perfectio, quæ etiam eſt neceſſaria. At verò in Deo communicare ſe extra ſe aliquid operando, eſt accidens, ſiue relatio rationis, & non eſt perfectio: quare neq; neceſſarium eſt; imò impiè de Deo exiſtimarunt, qui crediderunt eum naturę impulſu, & neceſsitate quadam operari. At verò interna communicatio perfectio eſt in Deo, & conſequentèr neceſſaria, vt argumentũ probat: quare concedimus conſequentiam, quòd communicare ſe neceſſariò, eſt maior perfectio etiam in Deo; ſed hæc perfectio ratione naturali non innoteſcit.

Ad intra, maximè.
Ad Confirm.

Ad confirmationem concedimus quòd proceſsio naturalis eſt Deo maximè propria: ſed non eſt nobis ſecũdũ naturam nota: neq; natura vt natura eſt exigit naturalẽ proceſsionem ſubſtantialem, quod conſtat in angelis, in quibus non eſt generatio.

Ad

19.
Ad 5.
In nobis productio verbi eſt cum imperfectione coniuncta.
Probatur 1.
Secundò.

A Ad quintum reſpódetur quòd in hoc complexo, productio Verbi, non indicatur aliqua imperfectio; vnde & Deo conueniunt hæc nomina. Sed tamen in nobis productio verbi eſt cum imperfectione coniuncta: Nam præterquamquòd ibi eſt cauſa & effectus, & inhærentia accidentis; verbum in nobis ponitur propter imperfectionem intelligendi, vt explicetur id, quod non erat in ſpecie intelligibili ſatis explicatum, vt antea commonſtrauimus.

Nulla eſt neceſſitas ob quam ratio naturalis tribuat Deo Verbum, aut eius realẽ proceſsionem.

Vnde in Deo Verbum non eſt neceſſarium ad intelligendum, neque Verbum eſt perfectio naturæ in Deo, vt in nobis; ideoque ratione naturali non poteſt oſtendi eſſe in Deo Verbum, neque eius realis proceſsio; quare negatur cóſequentia, quòd verbum naturali ratione ſit attribuendum Deo. Quòd etſi verbum pertineret ad naturam diuinam, vt quid eſſentiale, ſicut in Deo non elicitur intellectio ab intellectu ea proceſsione, ita neque verbum eſſentiale reali proceſsione ab intellectu dimanaret. Qnòd verò Verbũ ſit perſona, ratio naturalis non deprehendit.

20.
Ad vltimum.
In rebus creatis non eſt exemplum ſimile diuinæ proceſsioni.
S. Auguſt.
de Ario illud requirente,

C Ad vltimum reſpondetur negando eſſe exemplum in rebus naturalibus diuinæ proceſsioni ſimile. Quod elegãtèr docet S. Auguſt. ſerm. 38 de verbis Domini. Qua in re impiè delaſſatus erat Arius plures modos procedendi inquirens, & enumerans in rebus creatis, in quibus quia nó reperiebat diuinam generationem, ſtultè negabat, vt refert S. Thomas 1.p.q.42.art.2. argumento 1. Nos verò Ario libentèr concedimus diuinam generationem non habere exemplum.

S. Thom.
Ad exemplum *Panormit.* de face.

Illud verò quod proponitur in argumento de face, norunt Philoſophi quàm impar ſit & alienum, cum ibi duo ignes ſint ſiue flãmæ duæ; & ea natura D quæ trãsfunditur, non retinetur; ſed alia numero diſtincta producitur & datur, alia verò retinetur. In diuina verò proceſsione Pater, & Filius ſunt vnus Deus, & eadem numero natura manet in Patre & datur Filio ſine transfuſione: quia nó tranſit ab vno in alium, ſed manet in dãte eadem quæ accipitur.

Ad exempla *Cóc. Epheſ.*
De ſplendore.

Concilium verò proponit exempla non ad exæquendam rem, ſed ad elucidandam quouis modo imperfecto. Nam ſplendor, qui eſt ſimùl tempore cum ſole, eſt naturâ poſterior, & effectus illius. Et verbum

De Verbo mẽtis.
De filio.

A mentis quod extra materiam naſcitur, in intellectu noſtro recipitur, recipere autẽ eſt quoddam pati. Et filius qui de ſubſtãtia terreni patris gignitur, ſubſtantiam diuerſam numero habet. Quarè neque ſplendor indicat ſatis coæternitatem, neque verbum in nobis impaſsibilitatem, aut conſubſtantialitatem diuinam terreſtis filius: ſed imperfecto modo.

*S. Thom.* ait ſimilitudĩnes rerũ creatarum potiùs inducere in errorem.
*Ariſt.* apud *Clem. Alex.*

Proindeque ſapientiſsimè dixit S. Thomas diſt. 33. quæſt. 1. art. 1, ad 2. ſimilitudines rerum creatarum potiùs inducere in errorem, quâm in veritatem circa res diuinas, ſcilicèt ſi ratio tota ſimi- B litudinis obſeruanda ſit. Et idcircò probè dixit Ariſt. apud Clement. Alexand. adhortatione ad gentes, Deum nulli eſſe ſimilem: quarè neminem poſſe nóſſe illum ex imagine.

## CAPVT. XIII.

*Spiritus Sanctus eſt Amor per dilectionem procedens.*

1.

IActis anteà fundamentis eorum, quę ſunt de natura rerũ diſputata, admo- C ueamus animũ ad eã proceſsionẽ Verbi & Amoris diuini quæ eſt ſupra naturam.

2.
Reſolutio tituli probanda ex dictis.

Primò igitur per ea quæ ſunt de Verbo, & Amore tractata, dato altero principio, quod ſola fides format, videlicet in Deo exiſtere realem proceſsionẽ, quod iam antea docuimus; elucidandũ eſt elegantiſsimo exemplo myſterium ipſum Trinitatis beatæ, quod duabus proceſſionibus Verbi, & Amoris conſtat.

3.
Contraria ſententia eſt *Durand.* *Gregor.* *Aureol.*

Sed tamen huic aſſerto repugnat præcipuè Durand. in 1. diſt. 63. quæſt. 2. & diſt. 27. quæſt. 2. & 3. cum Gregor. diſt. 10. q. vnica art. 1. & diſt. 13. Et Aureol. apud Adam diſt. 33. q. 5. affirmat enim D Filium Dei non procedere per intellectionem, neque eſſe magis propriè Verbum, quàm Spiritum Sanctum, ſed accómodatione quadam dici verbum: at verò Spiritum Sanctum ſimilitèr non procedere per dilectionem, neque fuiſſe ante Sãct. Auguſtinum nomine amoris nuncupatum.

*Durandus* probat 1.
*Damaſc.*

Et probat ſuam ſententiam, quia genetatio & ſimilitèr ſpiratio (quæ ſunt diuinæ proceſsiones ſiue origines) eſt opus naturæ, vt ait Sanct. Ioan. Damaſcen. natura autem antecedit potentias, ſcilicèt intellectum & volũtatẽ; ergo proceſsio, quæ eſt opus

naturæ ad naturam ipſam reuocãda eſt ante intellectum, & voluntatem & operationes eius. Nec verò multùm diſtant à Durando, qui aſſerũt Patrem, etſi non eſſet præditus intellectu, generaturum Filium; nam hæc conditionalis fũdatur in opinione Durandi, quòd Pater non generet per intellectum, niſi fortè per accidens, cum etiam remoto intellectu ſit generaturus. Et hæc eſt peior ſententia: tum quia nihil in Deo per accidens inuenitur: tum maximè, quia nõ poteſt fingi animo, quid conferat intellectus ad generationem diuinam, ſiquidem ſolùm per accidens eſt ad eam neceſſarius.

Parum diſtat *Rada controuerſia 8. ad finem.*

Huius ſententia peior eſt. Probatur 1. Secundò.

4. *Durandi* ſẽtẽtia eſt error contra fidẽ. Illius futile argum. ſoluitur. Inter naturã & operationẽ mediat potentia.

Sed hæc ſententia Durandi, quæ certè videtur error eſſe contra Fidem, conuellenda eſt radicitùs; Cuius valdè futile eſt argumentum, proceſsionem eſſe opus naturæ. Hoc enim libentiſsimè damus, quod verum eſt; ſed inter naturam, & operationem ponimus potentiam mediam, vt liquet; quid ergo prohibet ipſum intellectum, & voluntatem dicere potentiam naturalem, à qua ſimul & natura petamus diuinam proceſsionem? Non debuiſſet ergo Durandus propter vanum argumentum negare firmiſsimam Patrum ſententiam, quòd Filius Dei ſit propriè Verbum, & Spiritus Sanctus ſit Amor. Sed vehementiùs nos contra Durandum arguimus; nam in natura quæ eſt expers materię, ſolæ iſtæ duæ inſunt potentiæ intellectus, & voluntas; cum ergo omnis operatio ſit alicuius potentiæ, neceſſe eſt proceſsionem diuinam, quæ eſt quædam operatio, ad intellectum, & voluntatem reuocari. Et confirmatur, quia in his ſolis potentijs eſt actio immanẽs, in qua actione id quod procedit manet in agente; ſed id quod procedit per generationem, & ſpirationem diuinam manet in generante, & in ſpirante; manet enim in Patre Filius, & in Patre, & Filio Spiritus Sanctus; ergo diuina proceſsio ad intellectionem, & dilectionem pertinet, in quibus id quod procedit manet in operãte. Quã ob cauſam rectè dixit S. Thomas prima parte quæſtione 34. vel 45. articul. primo, ad primũ, Origenem fõtem fuiſſe Arianorum, eò quòd aſſeruit verbum dici per metaphoram de Filio Dei. Nam Filius Dei per hoc quòd creditur verè

Reſolutio tituli, contra *Durandum.* Probatur. Omnis operatio eſt alicuius potentiæ.

2. confirmatur

*S. Thom.* vocat Origenẽ fontem Arianorum ob ſimile dictum.

A

eſſe Verbum Dei, neceſſariò conceditur exiſtens, & manens in Deo verus Deus. Quare Ariani omnes tenuerunt hanc anſam, vt negarent Filium Dei eſſe Verbum propriè, ne cogerentur cõcedere Filiũ Dei manere in Deo & eſſe Deum; quod tamen Origenis dictum nõ inuenitur apud illum, quia fortè excidit. Et Euſebius Pamphil. in Apologia defendit illum. Tertiò ſi diuina proceſsio non referatur ad intellectum, & voluntatem, non poteſt indicari diſcrimen vtriuſque proceſsionis, vt altera ſit generatio, altera non generatio,

*Euſebius Pamphil.* Origenem defendit.

Probatur 3.

B

ſed ſpiratio; quas tamen Fides Catholica admonet eſſe ſuis rationibus diſtinctas, ita vt Spiritus Sanctus non ſit genitus, ſed procedens. Denique nulla alia ratio ſuppetit, quare ſint tres perſonæ non duæ, neque plures. Nam ex eo quòd altera perſona procedit per intellectum, altera per voluntatem, colligũt Doctores Theologi ternarium diuinum. S. Thomas prima parte, quæſt. 27. art. quinto, S. Bonauent. in primo diſt. 2. quæſt. quarta, Alexand. Alenſ. prima parte, quæſt. 47. memb. 7. & alij plurimi.

Probatur 4.

*S. Thom.* *S. Bonau.* *Alex. Alenſ.*

C

Quòd ſi reſpondeas rationem eſſe occultam: Hoc eſt extremæ dementię, id negare, quod omnes aiunt illud aſſerendo cuius nullam rationẽ poteris adhibere. Participat etiam hęc opinio hæreſim Alogianorum, qui Verbum diuinum negant, de qua diſputabimus 4. tomo.

Reſponſio. Refellitur. Notandum.

Probatur 5.

Comprobata igitur communi, & orthodoxa ſententia, quòd diuina proceſſio ad intellectionem; & dilectionem pertineat, oſtendendum eſt Verbum diuinum ſuaptè natura proceſsionis, qua procedit vt Verbum, eſſe Deum verum; & ſimiliter diuinum Amorem per dilectionem procedentem ſuaptè natura proceſsionis eſſe Deum verum. De

5. Oppoſitũ participat hęreſim Alogianorum Contra hos aſſertio.

Ex propria ratione ſuæ proceſsionis, Verbum diuinum eſt Deus & Amor Deus.

D

Verbo Sanct. Thomas 4. contra gent. cap. 11. De Amore cap. 19. Et hoc idem argumentum innuit 1. p. quæſt. 27. art. 1. ad 2.

*S. Thomæ* Argumentum.

De vtroque autem ſimùl argumentamur vſi ſyllogiſmo hypothetico; verbũ enim eſt res ipſa intelligibilis, quatenùs coniungit potentiam cum re intelligibili; & amor ſimilitèr, vt docuimus, eſt res ipſa diligibilis, copulans voluntatem cum re diligibili; quare quò fuerint verbum & amor magis perfecta, eò erunt

6. Arguitur 1. de vtroq; vtẽdo ſyllogiſmo hypothetico.

cum

cum ſuis obiectis magis coniuncta: ſed Verbum & Amor in Deo ex propria ratione proceſsionis ſunt infinitè perfecta; quia procedunt per operationes infinitas, ſcilicèt intellectionem, & dilectionem diuinam; perfectio autem termini petitur ab operatione: ergo Verbum Diuinum & Amor infinita quadam coniunctione copulantur cum ſuo obiecto; infinita autem coniunctio, qua ſcilicèt maior non eſt, eſt ſimplex & realis vnitas; ergo Verbum Diuinum eſt ipſa res intelligibilis, non nomine tenus, ſed re ipſa; & Amor ſimiliter eſt res ipſa diligibilis vnitate, & identitate reali: Res autē intelligibilis in Deo eſt ipſe Deus, & res diligibilis idem Deus; ergo & Verbū, & Amor diuinus Deus ipſe eſt. Nam in nobis non poteſt accidere vt verbum & res intellecta ſint idem identitate reali, ſed dicitur verbum res intellecta nomine tenus, quia repræſentat illam: Verbum autem Diuinum identitate reali eſt ipſa eſſentia diuina, quæ eſt eius obiectum, quam per ſe primò repræſentat: & de Amore ſimiliter dicendum. Itaque ſicut ex parte potentiæ in Deo intelligens eſt ipſa intellectio, & diligens eſt ipſa dilectio, propter infinitatem potentiæ, quæ reali vnitate eſt idem cum ſua operatione: ita & ex parte termini, Verbum eſt idem identitate reali cum eſſentia, quæ eſt res intelligibilis, & Amor idē cum eſſentia quæ eſt res diligibilis. Et ita ex propria ratione proceſsionis, Verbum eſt Deus, & Amor Deus. Marius Victorin. libr. 3. contra Arium in ipſo veſtibulo argumētum hoc videtur vſurpare ſuo more Platonico. *Quod intelligitur foris eſt* (ſic enim legendum puto) *& quod intelligit intus eſt*, deinde meditatur Patrem contemplantē ſe intra ſe, quaſi motu ceſſante non producentem verbum: poſteà verò ſpectantem foras & videntem ſe extra ſe, id eſt, extra perſonam ſuam, quod ait moueri Patrem, motu ſcilicèt cognitionis, in quo apparet iam verbum extra perſonam Patris, *Cum autem*, inquit, *ſe videt, geminus exiſtit & intelligitur, videns & quod videtur*. Ecce argumentum Sanct. Thom. Nam ex ea parte qua videns, & viſum eſt Deus ipſe, Pater & verbum eſt Deus ipſe: quod autem Marius ait geminum exiſtere genere maſculo, intelligit geminam perſonam: quatenùs verò verbum, quod intelligitur cogitat extra perſonā intelligentis, duas perſonas meditatur, & ita colligit, ſi foris eſt Filium eſſe; quia eſt perſona diſtincta foris, ſcilicèt extra perſonam Patris intelligentis: & ſimilitèr philoſophatur lib. 4.

Perfectio termini petitur ab operatione.

Verbum diuinum, & Amor infinita coniūctione atque adeo vnitate & identitate copulantur cum ſuo obiecto, id eſt, Deo.

Verbū creatū dicitur res intellecta nomine tenus.

Arguitur 2.

Arguit. 3. *Marius Vict.*

Arguit conſonè cum *S. Thom.*

Declaratur.

A B C D

7\.

Alia ſunt clariora argumenta ad oſtendendum diuinum Verbum, & Amorem procedentem eſſe Deum ipſum. Nihil enim in Deo niſi Deus. Et ex operatione infinita, infinitus terminus intrinſecus producitur; adæquatur enim operatio termino. Et vbi proceſsio non recipitur in potentia paſsiua, quod procedit non recipit eſſe in eſſentia, ſed eſt ipſum eſſe ſubſiſtens, atq; adeò eſt Deus. Sed hæ rationes ſunt cōmunes in proceſsione diuina: at verò Sanct. Thomas argumentatur ex proprijs intellectionis, & dilectionis terminis. A rebus autem creatis rationem aliam præclaram ſcriptam reliquit Sāct. Thomas in primo diſt. 10. quæſt. 1. art. 1. res enim omnes creatæ à liberali Dei voluntate dimanarunt: eſt autem amor, omnis liberalis collationis origo. Quare Empedocles, vt 8. Phyſicor. text. 2. refertur, rerum principium amorem poſuit; eſt ergo in Deo prima amoris proceſsio, eaq; naturalis: à qua omne opificium conditoris initium petit, vt id quod eſt liberum ad id quod eſt naturale, & id omne quod eſt poſterius ad id quod eſt primum, reuocemus. Et ſimile argumentum de verbo conficitur; quoniam quæcunque ſunt condita, ad verbum, quod eſt in mente artificis, conformantur.

4\. Loco ſunt rationes clariores, ſed cōmunes.

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

5\. loco à rerū creatione probatio *S. Thom.*

Proponitur 1. de Amore.

*Empedocles apud Ariſt.* rerum principium amorem poſuit.

Proponitur 2. de Verbo.

8\.

Vaniſsima quædam opinio attribuitur Richardo de S. Victore, quòd crediderit vtramq; proceſsionē diuinam eſſe voluntatis operationem. Sed iniuriā hoc illi tribuitur, quod eſt ab omni ratione alienum. Richardus enim ex proceſsione Amoris colligit perſonarum Trinitatem lib. 3. de Trinit. à cap. 2. vſq; ad 10. Quod idē præſtitere Alexand Alenſ. 1. p. q. 43. memb. 5. & q. 45. memb. 7. Et S. Bonauent. in 1. d. 2. q. 4. & alij. Quia enim amor ex notitia procedit, Amor diuinus procedens indicat diuinum Verbum; ſed quòd verbum ex operatione voluntatis oriatur, nuſquàm aſſeruit Richardus, neque potuit vir ſolertiſsimus id ſibi figmentum perſuadere.

*Richardum* calumniantur Recentiores.

Ille ex proceſſione Amoris colligit perſonarū Trinitatē

Sic *Alenſ. S. Bonauent* Ratio.

*Confirmatio.*

9. De Verbo & eius proceſsione confirmãt Patres Græci. *S. Dionyſ. S. Athanaſ. S. Irenæus. S. Baſilius. S. Cyrillus Nazianz. Damaſcen.* Latini. *S. Hilarius S. Ambroſ. S. Auguſt.*

QVòd Filius Dei ſit Verbum, & procedat ab intellectu Patris, conſtãtiſsimè affirmant Sancti Eccleſiæ Proceres, S. Dionyſius capit. 7. de diuinis nominibus, S. Athanaſius in Epiſtola de ſententia Dionyſij Alexandrini; S. Irenæus lib. 2. contra hæreſes cap. 48. & 18. S. Baſilius homilia prima in Ioan. S. Cyrillus lib. 1. Theſaur. cap. 5. & 7. S. Gregor Nazianz. oratione 5. Theologa, S. Ioann. Damaſcenus lib. 1. fidei Orthodoxæ capit. 18. Idem affirmant frequentiſsimè Latini Patres, S. Hilarius lib. 7. de Trinitat. S. Ambroſius lib. 1. de Fide, cap. 9. & lib. 5. in Lucam cap. 16. S. Auguſtin. lib. 7. de Trinit. cap. 1. & 2. & lib. 9. capitulo vltimo, & lib. 15. cap. 11. & de cognitione veræ vitæ cap. 14. & 16. S. Gregorius 24. Moral. cap. 4. S. Anſelm. Monolog. cap. 32. 45. & 60. S. Fulgent. lib. 3. ad Monimum capitulo quarto, & ſequentibus, & Richardus lib. de Trinitate cap. 13. vt plures alios omittam.

*S. Gregor. S. Anſelmus S. Fulgent. Richardus.*

10. Sacer textus, *Ioannis 1.*

Idem cõfirmatur Euangelio Ioannis *In principio erat Verbum*. Quo loco Patres commẽtantur Verbum eſse proprium nomen Filij eò quòd ab intellectu Patris emanet. In quem locum elegantèr Sanct. Hilarius libr. 7. de Trinitate. *Legimus*, inquit, *In principio erat Verbum. Quid calumniæ eſt, vt non ſit quod nuncupatur.* Durandus tamen ſecutus Sanct. Ioan. Chryſoſt. & Theophylactum declarat Filium Dei humanitate aſsumpta dici Verbum per metaphoram quaſi præconem, ſicut Ioannes dicitur vox, Chriſtus vero Verbum. Sed profectò hic commẽtarius valde eſt abs re; Ioannes enim ibi apertiſsimè indicat Deitatem Verbi, & Verbum eſse apud Deum, hoc eſt manere, quod eſt proprium Verbi intelligibilis: & Verbum fuiſse factum carnem, ſiue hominem. Nam ſi Filius Dei eſt Verbum ſecundum humanitatem, non poteſt dici quòd Verbum ſit factum Caro, ſed erat iam caro. Prætereà idem Ioannes nomen Verbi inter perſonalia enumerat. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et in ſua Apocalypſ. de Filio Dei clariùs dicitur. *Et vocatur nomen eius Verbum Dei.* Vbi oportet memi- A niſse verborum Sancti Auguſti. tert. de doctrina Chriſtiana capit. decimo, quòd ea quæ ſunt propriè dicta non licet interpretari metaphoricè. In alijs etiam locis veteris paginæ ſaltèm in ſeſu myſtico Verbum indicat Filium; & illud, *Verbo Dñi cœli creati ſũt*, quod Patres frequentèr commentantur de Filio. Et illud, *Eructauit cor meum Verbum bonum*, iuxta Scholia Sanct. Gregor. & Sanct. Auguſt. Quibus autoribus etiam in illis verbis, *Semel loquutus eſt Deus*, indicatur generatio Filij. Sanct. Auguſt. B Pſalm. 67. Sanct. Gregor. 23. Moral. cap. 16. Tertullianus libr. contra Praxeam, Filiũ gigni dicit de vulua cordis, iuxta illud: *Eructauit cor meum ſermonem optimum*, ſic enim legit. Quo loco generationem refert ad cor, id eſt, ad intellectum, cuius proles eſt ſermo, ſiue verbum.

*S. Hilarius.* Explicatio *Durand. Chryſoſt. Theophyl.* Eſt abs re. Probatur 1. Probatur 2. Sacer textus, *1. Ioan 5. Apoc. 19.*

*S. Auguſt. Pſalm. 32. Pſalm. 44. S. Gregor. S. Auguſt. Pſalm. 61. S. Auguſt. S. Gregor. Tertul.*

11. *S. Baſilius* explicatur à *S. Thom.*

Quod verò Sanct. Baſilius lib. quinto contra Eunomium cap. 11. ait Spiritum Sanctũ eſſe Verbum Chriſti, optimè declarat Sanct. Thomas prima parte quæſt. 34. articul. ſecundo, ad 5. fuiſſe loquutum Sanct. Baſilium impropriè C vt Spiritum Sanctum Verbum diceret Chriſti, quia aduentu ſuo declarauit Deitatem Chriſti. Sed ſi de interna loquutione Dei ſermo ſit, Spiritus Sanctus non Verbum Chriſti eſt, ſed amor.

Sp. Sãctus impropriè Verbũ Chriſti.

12. Aduertendæ duæ hæreſes extremę de Verbo Prior Valẽtini. *S. Auguſt.*

Sed in hoc loco duo aduertenda ſunt. Alterũ, fuiſſe hæreſim Valentini dicentis Filium Dei prolatione natum, quaſi vocem quam proferimus, vt refert Sãct. Auguſt. in libro de hæreſibus; cõtra quẽ proclamabant Ariani Filium Dei non eſſe Verbum. Et ſequebantur Hæretici partes extremas. Nos verò vtrãq; blaſphæmiam abnegamus, & dicentium Filium Dei naſci, vt vocem ore prolatam, D & negantium Filium Dei eſſe Verbum intelligibile manens apud Patrem, vt Ioannes teſtatur.

13. Poſterior Alogianorum, id eſt, ſine Verbo *S. Auguſt. Caſtro.*

Alterum eſt, fuiſſe hæreſim quandam Alogianorum, hoc eſt, ſine Verbo, quod Grȩcis Logos dicitur, quam refellit Sanct. Auguſtin. illo libr. de hæreſibus cap. 30. & Alfonſ. à Caſtr. de hæreſibus libr. 5. titulo, Deus, hæreſi 71. Et huic hæreſi proximus eſt Durandus, qui etſi non negat Verbum, tamen voce tenus illud confitetur dicens non eſſe propriè Verbum, ſed per metaphoram, quod eſt voce duntaxat nominari Verbum.

Quòd

14. *De amore & ei' proceſsione confirmatur.*

*Nazianz. S. Baſilius. S. Cyrill. S. Hilarius. S. Hieron. S. Ambroſ. S. Auguſt. Ioan. 4.*

Quòd verò Spiritus Sanctus per voluntatem procedat, docent ante S. Auguſtin. S. Gregor. Nazianz. oratione de Spiritu Sancto, Sanct. etiam Baſilius Sanct. Cyrill. Sanct. Hilarius, Sanctus Hieronym. & Sanctus Ambroſius, & S. Auguſtinus 15. de Trinitate cap. 13. & capit. 17. conficit argumentum ex verbis. Ioan 4. *Deus dilectio eſt*. Et ibidem. *Quia dilectio ex Deo eſt*. concludit dilectionem illam, quæ eſt Deus ex Deo, quæ ſcilicèt à Deo procedit eſſe Spiritũ Sanctum, diuinamque perſonam. Et S. Ioan. Damaſcenus lib. 1. fidei orthod. capit. ſeptim. tribuit Spiritui Sancto (B) voluntatis efficaciam, eò quòd per voluntatem procedat. Sicut Sanct. Ignatius ad Magneſianos dixit Filium diuinę efficacię, hoc eſt, virtutis. Idem ſentit S. Anſelm. Monolog. capit. 88. Sanct. Bernardus, & Richardus lib. 6. de Trinitate capit. 10. & Rupertus lib. prim. de operibus Spiritus Sancti capit. 6. & Concil. Toletan. 11. vocat Spiritum Sanctum charitatem.

*Damaſcen. S. Ignatius. S. Anſelm. S. Bernard. Richardus. Rupertus. Cõcil. Tolet.*

5. Omnes Scholaſtici contra *Durandum.*

Doctores ſcholaſticos non eſt opus commemorare, quia omnes contra Du- (C) randum, & Gregor. conſentiunt, confeſsi & generationem Filij, qui eſt Verbum, ad intellectum pertinere; & proceſsionem Spiritus Sancti, qui eſt amor, ad voluntatem.

## CAPVT XIIII.

*Amor, vt eſt dilectionis terminus, in Deo non eſt quid eſſentiale, ſed perſonale.*

CApuT diuiditur in partes tres.
Prima pars. *In Deo Verbũ eſt perſona*
Secunda pars. *In cognitioue diuina nullum eſt medium.*
Tertia pars. *Verbum in Deo non eſt eſſentiale.* (D)

### PRIMA PARS.

*In Deo Verbum eſt perſona.*

1. DIfficilis eſt quęſtio, tractatuque neceſſaria: an Verbũ in Deo ſit quid eſſentiale, an verò perſonale tãtummodò ſit? Idemque iudicandũ eſt de amore, vt eſt terminus dilectionis; cũ vtriuſque ſit par, æquaq; ratio. Videndus S. Th. p. 1. q. 34. ar. 1. & de ver. q. 40. art. 2. & 4.

(A) Et opuſc. 1. cap. 11. Hoc autem loco id diſputandum eſt, cum de verbi, amoriſque natura ſatis ſuperque ſit dictum.

2. *Durandus* aſſerit Verbũ eſſentiale, & negat perſonale.

Durand. d. 27. q. 3. nõ ſolùm affirmat verbum eſſe quid eſſentiale, ſed negat eſſe perſonale; cum enim credat intellectionem, & verbũ eſſe omninò idem, ſicut intellectio diuina eſt eſſẽtiale quid, hoc eſt, attributũ eſſentię, non perſonæ; ita & verbũ. At verò S. Thom. d. eadẽ q. 2. art. 2. exiſtimat verbum eſſe & eſſẽtiale, & perſonale diuerſis tamen rationibus. Et idẽ ſentit de veritat. q. 4. art. 2. cum Albert. Magno d. eadem q. art. 6. quos autores ſequitur Ioannes Capreol. q. 2. ar. 1. concluſione 4.

Vtrumque diuerſis rationibus aſſerunt *S. Thom. Alb. Magn. Capreol.*

3. Verbũ eſt terminus. Item medium. Quando ſit neceſſarium, vt medium?

Conſiderandum eſt ergo, quòd verbum eſt terminus in quo intelligimus; & eſt medium quid inter intellectionem & obiectum: ideoque ea intellectio eſt imperfectior in qua eſt verbum; neque illud eſt neceſſarium, niſi vbi potentia intelligens eſt imperfecta, habetque ſpeciem impreſſam imperfectam, vt diximus. Ex quibus propoſitionibus euidentèr colligitur concluſio, quòd non ſit in Deo verbum eſſentiale quaſi neceſſarium ad intellectionem, cum perfectiſsimè & abſque medio ſe ipſum intelligat. Sed duo ſunt quæ faciunt difficultatem; Alterum eſt, an poſsimus verbum eſſentiale in Deo meditari, reiectis his imperfectionibus: Alterũ eſt, ſi verbũ cũ his eſt cõnexum, quo pacto verbũ perſonale intelligamus in Deo; ſiquidẽ eæ imperfectiones continentur in propria notione verbi, quæ neque cogitatione poſſunt ſeparari; nihil enim imperfectum in Deo, vel in perſona diuina inuenitur.

Euidens conſequẽs, non eſſe ſic neceſſariũ in Deo.

Duplex difficultas.

4. Communis quædam ratio verbi expenditur.

Expendenda igitur eſt ratio quędam verbi cõmunis, quæ poſsit etiã in Deo cogitari, reiectis imperfectionibus. Denique diſputandum, an ea ratio verbi inueniatur etiam in eſſentia, an verò in ſola perſona.

5. Verbũ eſt quidam intellectionis termin' per ipſam productus, remq; intelligibilem declarans.

Verbum mentis eſt quidam intellectionis terminus per ipſam productus, remque intelligibilem declarans. Eaque eſt verbi quidditas & eſſentia, ita vt nihil ex his poſsit à ratione verbi ſecerni. Quòd ſit terminus intellectionis cõſtat, quia verbum dicimus; dicere autem eſt quoddã operari; eſt ergo verbum terminus operationis. Quare etiam neceſſe eſt vt verbum per intellectionẽ producatur.

Explicatur prima particula.

Secunda.

catur. Nam obiectum intellectionis nõ eſt verbũ, ſed id quod per intellectionẽ profertur; proferre autẽ producere eſt.

Tertia.

Quod autẽ per intellectionẽ producitur, niſi rem intelligibilem declaret, verbũ non eſt; Nam habitus mentis per ipſius actiones comparatus, eſt quidèm intellectionis terminus productus; non tamen eſt verbum, quia non declarat, aut repræſentat rem intelligibilem; ſed eſt intellectionis principium efficiens: quare etiam neceſſe eſt, vt verbum declaret rem ex parte obiecti; declarare autem eſt lucem præbere intelligibilem, qua luce obiecta ex parte rei cognitæ, res ipſa intelligitur; quod ſtatim accuratius explicabitur. Hæc autem omnia penitùs continentur in verbi quidditate, & notione.

Declarare eſt lucẽ præbere intelligibilẽ ex parte rei cognitæ.

6. Quæſtio 1. De formali ſignificatione verbi.

Cum ergo nomine Verbi declaretur relatio ad dicentem, & ipſa intelligibilis forma. Quæſtio prima oritur vtrùm nomine verbi ſignificetur formalitèr illa relatio, an hoc abſolutum, quod eſt forma intelligibilis? Thom. Caietan. q. 34. artic. 2. opinatur formalitèr ſignificare ralationem, & ea eſt ſẽtentia Barthol. Torres q. 27. art. 2. Et hanc eſſe Doctoris Sancti ſententiam affirmat q. illa 34. art. 1. & 3. ad 4. docet enim S. Thomas Verbum in diuinis ſignificare relationem originis ad Patrem. At verò S. Thom. q. 4. de veritate, & d. 27. q. 2. artic. 2. affirmat nomine Verbi Diuini formalitèr ſignificari quid abſolutum. In qua opinione eſt Franciſcus Ferrar. 4. contra gentes ad 2. dubium.

Pro relatione *Caiet.* *Torres.* *S. Thom.* Locus pro relatione. Locus pro abſoluto. *Ferrar.*

7. Concluſio. Verbum creatum ſignificat de formali abſolutum, connotat relationem producti. In Verbo diuino vtrumque ſignificatur de formali. Probatur.

Sed conſtituendum nobis eſt, nomine Verbi creati ſignificari abſolutum nempe intelligibilem formam, qua ſcilicèt formalitèr intelligimus, vt S. Thomas ſæpius edocet: relatio verò producti connotatur, ſiue deſignatur in obliquo in ipſo intelligendi modo. In Verbo autem diuino vtrumque ſignificatur formalitèr, relatio producti, & forma intelligibilis; quia Verbum eſt perſona, quæ cõſtituitur ex eſſentia & relatione, & vtrũq; ſignificat, vt explanabimus lib. 4. Et in hoc quidèm lapſus eſt Franciſ. Ferrar. qui cum concedat nomen perſonæ diuinæ ſignificare relationem, & eſſentiam ſimul, negat nomen Verbi, quod eſt proprium perſonæ, ſignificare vtrumque. Quod verò attinet ad principale ſignificatum, dicendũ eſt relationem eſſe præcipuum, vt actum vltimum cõſtituentem, quod vult Thom. Caiet. ſed intelligibilem formam, ſiue eſſentiam eſſe præcipuum cognitũ, quia conceptus Verbi eſt abſolutus, declarãs expreſsiùs intelligibilẽ formam, quàm relationem producti, vt libr. 4. elucidabimus. Et ita concordat vtraque ſentẽtia. Nunc verò aliud inueſtigamus, ſcilicèt vtrùm illa intelligibilis forma, quæ eſt ipſa eſſentia diuina, poſsit rectè nuncupari Verbum diuinum.

*Ferrarienſis* ſibi contrarius. Relatio eſt præcipuum ſignificatum, vt actus vltimus conſtituens. *Caietan.* Abſolutũ, præcipuum cognitum. Probatur.

8. Aduertendum contra *Durandum.* Verbũ eſt nomen perſonæ.

Principio igitur conſtituendũ eſt cõtra Durand. id in quo cæteri conſentiũt, & ſatis eſt capite præcedenti firmatum, quòd Verbum ſit nomen perſonæ. Neque argumentum Durandi quicquam efficit cõtra nos, qui aſſerimus Verbũ ab intellectione eſſe diſtinctum: nam aliàs argumentum idem valde premit opinantes hæc non diſtingui; Nam & hac ipſa ratione concluſimus diſtincta eſſe intellectionem & Verbum, quia niſi eſſent diſtincta, ſicut intellectio non eſt quid perſonale, ita neque Verbum eſſet nomen perſonæ. Dicimus ergo illa eſſe diſtincta, & intellectionem quidèm eſſẽtialem, Verbum autem perſonale.

Proptereà ponitur diſtingui ab intellectione.

9. Quæſtio 2. Verbũ diuinũ vnde habeat declarare, ſeu repræſentare.

Atqui cum data definitione Verbi contineatur, vt repræſentet, vel declaret rem intellectam, illud alterum ſuccedit tractandum: vtrùm Diuinum Verbum, quod eſt perſona, hoc habeat ratione eſſentię diuinæ; eſt enim Verbum ipſum Deus: an verò ratione proprietatis perſonalis, qua perſona eſt: an etiã ratione vtriuſque. Ad hanc quæſtionem enodandam aduertendum eſt, quòd declarare eſt quoddam eſſe intelligibile, & quędam perfectiò attinens ad res intelligibiles; eſſe autem in Deo vnum eſt & eſſentiale, & perfectio vna eſſentialis: neque enim perſona affert nouum eſſe, aut nouam perfectionem eſſentię, vt lib. 3. dicemus: Oportet igitur vt Verbum diuinum, quod eſt perſona, declaret rẽ intelligibilem, non ratione proprietatis perſonalis, ſed ratione eſſentiæ diuinæ; quia ipſum Verbum eſt eſſentia. Et hoc eſt quod S. Thom. ait q. 34. art. 3. Verbum reſpicere creaturas, hoc eſt, repræſentare illas ratione eſſentiæ. Et idem docet reſponſione ad 1. Et confirmatur exẽplo verbi creati, quod rẽ repræſẽtat, non ratione relationis realis qua refertur ad dicentem, ſed ratione formæ abſolutæ

Aduertendũ. Declarare eſt quoddam eſſe & perfectio intelligibilis.

Concluſio. Verbum diuinum habet hoc ratione eſſentiæ non ratione proprietatis. Probatur ex *S. Thom.*

Confirmatur exemplo Verbi creati repræſentãtis ratione formæ abſolutæ.

ſolutæ

ſolutæ,quæ eſt ipſum Verbum, qua forma intellectus præditus intelligit: Id autem quod eſt in nobis abſolutum, eſt in Deo eſſentiale, & quod eſt relatiuum eſt perſonale:ergo ſimilitèr diuinũ Verbum non repræſentat ratione proprietatis perſonalis,quę eſt quędam relatio, ſed ratione eſſentiæ diuinæ,quam includit, quæ eſt quid abſolutum. Et in hoc viri aliàs docti decepti ſunt, rati verbũ repræſẽtare ratione proprietatis.Quòd ſi inſtes, Verbum diuinum, quâ verbũ eſt,repræſentat;ergo reprę ſentat quatenus perſonale quid eſt, cum verbum ſit perſonale.Reſpondendum eſt,Verbum diuinum vtrumque continere in ſuo cõceptu,& eſſentiam & perſonam. Et idcircò quâ Verbum eſt non ratione proprietatis, ſed eſſentiæ repræſentat. Et hæc eſt ſententia S. Thom. loco dudùm memorato, & in 1.d.27.q.2.art.2. & de veritate q.4.art.5.& quodlib.4.q.4.art.1.& conſentiunt Thomas Caietanus in Comment. & Ioan. Capreol d.27.q.3. art.1. concluſione 5. & Franciſ. Ferrar. 4. contra gent. cap. 13. & Ioan. Scotus d.27.q.3.Vbi autem S.Doctor ait Verbum diuinum eſſe expreſsiuum rerum intelligibilium ratione eſſentiæ, moderandũ eſt nomen iſtud; exprimere enim eſt aliud quid per ſimilitudinem imitari, eſſentia autem diuina non aſsimilatur rebus creatis,ſed potius res creatæ fiũt ſimiles eſſentiæ creatrici;ſed dicitur expreſsiuum quaſi declarans, ſiue repræſentans. Sed & S. Auguſtinus libr. 38. quæſtionum q. 63. videtur hanc ipſam doctrinam noſtri Doctoris animaduertiſſe,dum in Verbo diuino notat, & relationem ad Patrem,quæ eſt proprietas perſonalis; & ad res creatas relationem ſcilicèt repræſentantis, quæ eſt rationis relatio, conueniens verbo quatenus eſt diuina eſſentia. Cum ergo diuinũ Verbum,quod eſt perſona, repræſentet res cognitas, & ſit quid productum per intellectionem,conficitur iuxta Verbi definitionem,vt ſit propriè Verbum: neque eſt nobis de hac re cum aliquo diſceptatio.

Viri aliàs docti in hoc decepti.

Obiectio.

Reſponſ. Verbum quâ Verbũ eſt, repræſẽtat ratione eſſentiæ.

*Idẽ S.Thom.*

*Caiet.* *Capreol.* *Ferrar.* *Scotus.*

*In S.Thom.* Verbum creaturarũ expreſſiuum,id eſt,repræſentans,nõ verò per ſimilitudinem imitans.

*S. Auguſt.* notat in Verbo diuino duplicem relationem.

Relatio ad creaturas,ſcilic.repræſentãtis eſt rationis.

Cõcluditur ex dictis Verbum diuinum eſſe propriè Verbũ.

10. Sed tamen eodem videtur confici argumento, vt in ipſa eſſentia concedamus Verbum, ſiquidem ea eſt quæ maximè res cognitas repræſentat, ſiquidem Verbum,quod eſt perſona, repręſentat ratione eſſentiæ, quam includit. De qua re diſputandum nunc eſt.

## SECVNDA PARS.

### *In cognitione diuina nullum eſt medium.*

1. Erit nobis hoc loco ſummopere aduertendum, quòd repræſentare eſt relatio rationis, quæ conuenit verbo creato ratione abſolutæ formæ, quæ eſt ipſum verbũ. Vnde emergit noua quædam Theſis diſputanda, in Scholis,vt reor,non audita, Vtrùm in diuina eſſentia ſit meditãdum attributum quoddam eſſentiale & abſolutum, ratione cuius ei conueniat repræſentare res cognitas,vt verbum creatũ repræſentat? Hoc enim ſi indagãdo inueniamus in diuina eſſentia, apparet eſſe fortaſsis quoque in ea verbum eſſentiale. Et vt rem totam tractemus, diſputetur de ſpecie intelligibili, & Verbo. De ſpecie enim intelligibili ſimilitèr videndũ eſt, vtrùm meditandũ ſit in Deo attributum quoddam, quod ſit quaſi ſpecies intelligibilis reiectis imperfectionibus accidentis, & inhærentiæ.

Aduertendum ſummopere ex proxima quæſtione præcedẽte.

Noua quæſtio Vtrùm in diuina eſſentia ſit prectio realis, ſeu attributum abſolutũ,quod ſit vt Verbum

2. Primum de ſpecie intelligibili videtur aſſerendum aliquid reale cogitandũ eſſe in diuina eſſentia loco ſpeciei intelligibilis. Nam hæc attributa diuina ducimus à rerum creatarum cognitione;ea enim, quæ ſunt ex natura rei ſaltem, & definitione, reque ipſa diſtincta, abſque diſtinctione vlla rei, & cum rationibus formalibus diſtinctis ad Deum traducta, dicimus attributa. Eſſe autem intelligibile in nobis eſt diſtinctum ſaltem definitione,& ex natura rei ab eſſe naturali: nam anima rationalis eſt coniũcta cum ſuo intellectu reali cõiunctione naturali, non verò coniunctione intelligibili; cuius vtriuſque cõnexionis diuerſus eſt effectus formalis, nam ibi eſt effectus naturalis coniunctionis, non verò intelligibilis: & in Angelo cuius forma,quæ eſt eius quidditas, coniuncta eſt cum intellectu ſecundum vtrumque eſſe naturale, & intelligibile, videtur eſſe diſtinctus effectus formalis ſaltem ex natura rei. Nã cõiũctionis naturalis formæ cum intellectu Angelico effectus formalis eſt, quòd Angelus ſit intellectu præditus; intelligibilis autem cõiunctionis effectus formalis eſt, quòd ad intelligendum ſuam quid-

1.Concluſio. Eſt attributũ, quod ſit vt ſpecies intelligibilis impreſſa, reiectis imperfectionibus. Probatur.

In creatis eſſe intelligibile eſt diſtinctum ſaltèm ex natura rei ab eſſe naturali.

Declaratur hoc In nobis datur animæ cũ intellectu coniũctio naturalis, non intelligibilis.

In angelo eſt coniunctio ſecũdum vtrũq; eſſe.

Vtriuſque coniunctionis effectus eſt diſtinctus ſaltèm ex natura rei.

quidditatem per illam coniunctionē intelligibilem ſit in actu primo; in quo genere intelligibilis entis forma ſubſtantialis eſt perfectio intellectus angelici: ſiquidèm per illam formam coniunctam eſt angelicus intellectus in actu primo ad intelligendum angelum. Hæc autem ſi vera ſunt, & ad Deum referantur, permittendum eſt, quòd ipſa diuina eſſentia, vt eſt per ſe intelligibilis, & coniuncta cum ſuo intellectu coniunctione intelligibili, cogitetur à nobis, vt diuina quædam perfectio ab alijs perfectionibus cogitando diſcreta, quam dicimus attributum. Et S. Thomas affirmat diuinam eſſentiam cum intellectu coniunctam habere rationem ſpeciei intelligibilis.

In genere entis intelligibilis, ſubſtantia angeli eſt perfectio intellectus angelici. Colligitur veritas concluſionis.

*S. Thom.*

3.

De verbo autē maior eſt difficultas, vtrùm illud eſſe intelligibile, quod in verbo creato deprehendimus, ſcilicet, quòd ſit quædam forma terminans intellectionē, inueniatur in diuina eſſētia? Et primò ponderandū eſt, quòd vbi verbum non eſt res ipſa intellecta reali vnitate, neceſſe eſt, vt ſit medium inter intellectionem, & rem intellectam. Cum enim verbum ſit ratio intelligendi rem, ipſam declarās, & repræſentans, & ipſius rei intellectæ vices agens, per quod vt per imaginem rē intelligimus; neceſſariò eſt mediū in quo rem intelligimus, inter intellectionem, & rem intellectam à natura conſtitutum. Et hoc pacto intelligere per verbum eſt quid imperfectum, quod in nobis accidit, vt diximus; Deo autem hoc tribuere nefas eſt: At verò in Deo vbi verbum eſt res ipſa intellecta, minimè neceſſe eſt, vt ſit medium inter intellectionem & rem intellectam. Quare ſi in diui na eſſentia poneremus verbum eſſētiale, illud non eſſet ponēdum, vt medium inter intellectionem, & rem intellectam. Quod argumētum non ſolùm euincit non eſſe ponendum in Deo medium intelligibile re ipſa diſtinctum ab intellectu & obiecto, cum ibi nulla ſit realis diſtinctio: ſed cōmonſtrat etiam neque cogitando meditandum ibi eſſe medium intelligibile, ſiquidèm intelligere per medium imperfectio eſt; & minimè neceſſarium, vbi intellectus eſt ipſa res intelligibilis reali vnitate; medium enim eſt propter diſtantiam eorum, inter quæ eſt medium: Igitur eſſentia diuina non eſt medium

2. concluſio. In Deo nihil eſt, quod ſit vt verbum quoad rationē medij inter intellectionem, & rem intellectā. Probatur.

Verbum eſſentiale, ſi poneretur, nō eſſet ponēdū vt mediū intelligibile.

In Deo nihil cogitari poteſt, quod ſit vt medium intelligibile.

Medium eſt propter diſtantiā eorū inter quę eſt mediū.

A inter intellectionem diuinam, & rem intellectam, neque habet rationem medij; ſed per ſe ipſam immediatè occurrit & repræſētat ſe, & omnia in ſe. Nam & res alias repræſentat diuina eſſentia in ſe ipſa, non vt medium cognitionis, ſed vt obiectum cognitum in quo illa cognoſcuntur, vt doctiſsimè notauit S. Thom. 1. p. q. 14. art. 5.

Res alias repræſentat eſſentia diuina, non vt medium cognitionis. *S. Thom.*

4.

Difficultas eſt de verbo quatenus eſt forma intelligibilis repręſentās res, & intellectioni obijciēs vt terminus illi occurrens.

Ex his videtur colligi nihil eſſe meditandum in diuina eſſentia ex parte obiecti cogniti, quod ſit quaſi intelligibilis forma repræſentans res, vt verbum repræſentat, licèt ex parte cognoſcentis B meditemur diuinam eſſentiam ſecundū eſſe intelligibile ad modum ſpeciei. Et confirmatur, quia ſpecies impreſſa perfecta eſt actualis rei ſimilitudo, ita vt vltra non ſit ſimilitudo alia ex parte obiecti, vbi ſpecies impreſſa perfecta eſt; ergo cum diuina eſſentia ſit infinitum quoddā eſſe intelligibile in actu, antecedens intellectionem diuinam noſtro modo cogitandi, minimè neceſſe eſt meditari aliam formam intelligibilem ex parte rei cognitæ; quod argumentum videtur apertiſsimè conuincere.

Prior ſententia. Non eſt attributum, quod ſit vt verbū ſecundum hanc rationem. Colligitur 1. ex dictis. Probatur 2. & efficacitèr.

5.

Poſterior ſententia oppoſita probabilis.

C Nihilominus probabilitèr defēdi poteſt, quòd in ipſa diuina eſſentia ex parte rei cognitæ meditandum ſit quoddā eſſe intelligibile reale, quod eſt eſſe per ſe primò intelligibile, non tamen vt medium. Nam illud eſſe intelligibile diuinum, quod antecedit cognitionem, eſt principium intelligēdi; hoc autem eſse, eſt terminus, ſiue obiectum. Et ſicut cōiunctio illa, qua eſsentia cum intellectu diuino eſt res vna in ratione principij, eſt quoddam attributum; ita connexio hæc altera, qua eſsentia cum eodem intellectu in ratione obiecti eſt res vna, poteſt dici attributum alterum.

Probatur.

6.

Obiectio.

Sed contra hoc eſt argumētum: nam ratio obiecti eſt relatio rationis, hoc enim ſignificat formalitèr nomen iſtud, D obiectū; ergo diuina eſſentia in ratione obiecti nō eſt perfectio aliqua, vt dicatur attributum, ſed ſola relatio rationis eſt. Videtur tamē nō improbabilitèr dici illud eſse intelligibile ex parte obiecti aliquid reale eſse, & perfectionem eſſētiæ, & attributum: Confitemur enim rationem obiecti eſse relationē rationis, ſed aimus aliquid reale per hoc nomen poſſe in Deo indicari; ſiquidèm nō habemus nomen aliud ad id, ſi quid eſt, declarandum.

Reſponſio.

Eſſe obiectum, ſeu intellectū ſignificat relationem rationis, etiam in Deo.

Probabilitèr tamen indicat perfectionem rei intellectæ, vt intellecta eſt, ſcil. coniũctionẽ per idẽtitatem eſſentiæ cum intellectu etiam in ratione obiecti.

clarandum. Itaque in rebus creatis nihil fingi poteſt in ratione obiecti quod ſit reale; ſiquidèm rem cognoſci accidit rebus creatis, accidit autem per hoc quòd cognoſcuntur à potẽtia quadam diſtincta, & ſolum nomen cogniti eſt in rebus, quæ eſt relatio rationis: in Deo verò nõ accidit cognoſci, ſed res cognita per ſe, & eſſentialitèr eſt ipſe intellectus diuinus; & hæc coniunctio indicat perfectionem quandam rei intellectæ, vt intellecta eſt; quia illud intelligi eſt eſſe ipſum intelligentem. Quare etſi hæc nomina rem intelligi, & eſſe obiectũ intellectus ſignificent relationem rationis etiam in Deo; fortè tamen ſub his nominibus latet aliquid reale, quod per alia nomina nequimus indicare; quod eſt eſſe per ſe primò intellectum.

Declaratur.

Declararur hoc, nam conformitas rerum creatarum cum intellectu diuino eſt relatio realis creata in multis rebus, vt dicemus lib.3. & dicitur veritas creata: conformitas autem diuinæ eſſentiæ cum intellectu diuino eſt relatio rationis, quia hæc conformitas eſt identitas; & indè dicitur prima veritas, prima conformitas per identitatem. Veritas autem prima indicat maximam perfectionem in Deo; quæ ſanè videtur eſſe perfectio ipſa, de qua diſputamus, quam ponimus attributum, ſcilicèt eſſentia, vt eſt per ſe primò intelligibilis; vndè habet vt ſit prima veritas, quæ eſt conformitas per identitatẽ: hæc enim perfectio eſt realis idẽtitas, & vnitas eſſentiæ diuinæ cum intellectu, quæ cernitur in prima veritate.

Prima veritas ſeu prima conformitas per identitatem videtur indicare hanc ipſã perfectionem, ſcilicèt eſſentiã, vt eſt forma per ſe primò intelligibilis.

Confirmatur. Eſſentia diuina vt res cognita, in ſuo eſſe intelligibili infinito cõtinet omnia intelligibilia.

Et confirmatur, quia eſsentia diuina vt cognita, in ſe ipſa continet omnia intelligibilia ſecũdum eſse quoddam intelligibile infinitum; ergo etiam vt cognita, habet eſse quoddam intelligibile reale, & infinitè perfectum, vt cognità (inquam) id eſt, vt eſt res cognita: nam nomen, cognita, formalitèr non ſignificat rem, ſed relationẽ rationis.

Reſponſ.

Quòd ſi dicas res creatas intelligi in eſsentia diuina, vt in cauſa: adhùc inſtamus;

Impugnatur.

non enim cognoſcuntur vt in cauſa ad hunc ſenſum quòd ex cognitione cauſæ cognoſcantur, quaſi per cõſequentiam; ſed quòd in ipſo eſse intelligibili ſuæ cauſæ continentur intelligibilitèr, ſicut & cauſalitèr.

Continet omnia intelligibilitèr, ſicut & cauſalitèr.

*S. Thomæ* argum. cap. 13. propoſitum,

Et in hãc partem videtur propendere S. Thomas, dũ ex propria ratione verbi in genere probat diuinum Verbum eſse Deum; tum

A quia niſi verbũ ex propria ratione eſset forma intelligibilis, falſum eſset aſsumptum quòd verbum ſit res intelligibilis ſecundum ſimilitudinem, vt explicauimus: tum maximè quia niſi diuinũ Verbum eſset forma intelligibilis, nequaquàm concluderetur illud eſse Deum, qui eſt ipſum intelligibile, ſcilicèt diuina eſsentia: hæc enim conſequentia nititur coniunctione formæ intelligibilis cum obiecto quod intelligitur.

probans verbum eſſe Deũ, indicat eũ propendere in hãc poſteriorẽ ſententiam. Oſtenditur. 1. Secundò.

Et idem argumentum conficit S. Thomas de amore procedente, nam ex propria ratione B amoris in genere, concludit diuinum amorem eſse ipſum diligibile, quod eſt ipſa diuina eſsentia.

Eiuſdem ſimile argumentũ de amore.

Quam rem ſi concedamus, iam meditamur eſsentiam diuinam vt formam intelligibilem ex parte rei cognitæ; qua ratione conuenit cũ verbo creato, quod eſt etiam forma intelligibilis.

## TERTIA PARS.

### *In Deo verbum non eſt eſſentiale.*

1\. In priori ſententia ſuprà. Concluſio negans in Deo verbum eſſentiale, clara. Oſtenditur.

C DIcendum iam eſt de propoſita quæſtione, Vtrùm diuina eſſentia ſit verbum propriè loquendo. Et quidèm ſi eam opinionem, quam modò dicebamus probabilem, quis non permittat, iam ratio verbi excludetur ab eſsentia diuina: nam verbum eſt forma intelligibilis ex parte rei cognitæ quod repræſentat rem; ſed eſsentia diuina non repræſentat rem, niſi ex parte intelligẽtis ad modum ſpeciei intelligibilis; ergo non poteſt intelligi per modum verbi, ſed per modum ſpeciei intelligibilis, & ita non erit propriè verbum.

2\. In poſteriori, qua ratione à quibuſdã probetur.

Permiſsa autem illa opinione adhùc D poteſt reijci verbum ab attributis eſsẽtiæ, quia non eſt medium intelligibile, ſicut eſt verbum creatum. Sed hæc ratio nulla eſt; nam Verbum diuinum quod eſt perſona eſt propriè verbum, & tamen non eſt medium intelligibile: quoniam Verbum hoc quod eſt perſona, repræſentat res ratione diuinæ eſsentiæ, vt diximus; ſed diuina eſsentia non repræſentat illas, vt medium intelligibile, quod etiam oſtendimus; ergo neque Verbum Patris medium intelligibile eſt.

Reijcitur hæc ratio. Verbum diuinum eſt propriè verbum, non tamẽ medium intelligibile inter intelligentem, & rẽ intellectam.

3\. Verbum diuinum eſt terminus primæ pro

Poſsumus tamen dicere quòd in cognitione practica Verbum eſt mediũ, quia Pater Verbo producit creaturas: ſed cũ hæc

ceſsionis, quæ eſt ad intra p ſcientiam ſpeculatiuã; medius, vt cauſa à cauſa procedens, reſpectu ſecundæ proceſsionis, quæ eſt ad extra per ſcientiam practicam.

hæc cognitio ſit cauſa rerum, per hoc quòd in illa conſideramus Verbũ vt medium, cõſideramus illud vt cauſam procedentem à cauſa, ſicut Deum à Deo; & ita conſideramus Verbum vt principium proceſsionis ad extra, ſcilicèt ad creaturas; ſiue etiam vt terminum medium proceſsionis; quia prima proceſsio eſt Verbi per ſcientiam ſpeculatiuam, & indè ſequitur proceſsio creaturarum per Verbum per ſcientiam practicam. Sed nunquam conſideramus Verbum vt terminum intellectionis medium inter intelligẽtem, & rem intellectã, vt diximus.

B

4. Non pertinet propriè ad rationem verbi eſſe mediũ intelligibile.

Cum igitur Verbum, quod eſt perſona ſit propriè Verbum, & non ſit medium intelligibile; conſequens eſt vt non pertineat neceſſariò ad rationem verbi eſſe medium intelligibile; neque diuina eſſentia ſecluditur à ratione verbi eam ob cauſam.

5. Conclusionis ratio ſola, & in vtraq; opinione conſtans. Verbũ ex propria ratione ſua procedit de intelligente.

Hęc iam eſto diſputationis ſcitiſsima concluſio, Verbum non eſſe attributum diuinæ eſſentiæ, ſed nomen duntaxat perſonæ. Cuius aſſerti hæc eſt ſola ratio, eaque conſtans, verbum ex propria ratione eſſe quid à dicente productum & procedens; impoſsibile autem eſſe aliquid eſſentiale in Deo produci; quia inter producens, & productum eſt realis diſtinctio, inter eſſentialia autem nulla eſt diſtinctio realis. Ideò negamus verbum eſſe eſſentiale, ſed duntaxat ponimus perſonale, Filius enim eſt Verbum per intellectionem productum, re ipſa diſtinctum à Patre proferente hoc Verbum.

C

6. Obiectio.

Neque verò infirmatur hæc ratio, ſi reſpondeas in Deo quoque nos cogitare operationem intellectus quaſi emanantem ab intellectu, cum tamen ea emanatio non ſit realis; ita etiam poſſe cogitari verbum eſſentiale emanans ab intellectione, non tamen reali emanatione.

Reſponſio. Intellectio ex ratione communi Deo, & nobis, non eſt emanans re ipſa ab intellectu, ſed eſt operatio obiectũ proſpectans.

Diſpar tamen eſt ratio: nam emanatio ab intellectu non eſt de quidditate intellectionis, vt eſt Deo nobiſq; communis. Sed intellectio eſt operatio obiectũ proſpectans, quam in Deo per modum emanantis à potentia intelligimus; ſicut generationem diuinam intelligimus per modum actionis; quæ tamẽ non eſt realis actio, vt diximus; modus enim intelligendi noſter non exęquatur rei intellectæ.

D

Verbũ ex ſua ratione eſt dictum, productum, ſeu emanans.

At verò verbum ex propria definitione eſt quid prolatum, & dictum, &

A

productum: quare non ſatis eſt vt intelligatur per modum producti, ſed vt verè & re ipſa productum & emanans; non ergo ſatis eſt, vt cogitetur quaſi emanãs à dicente, ſed vt verè emanet; æquiuocè enim emanare dicitur, quod non re ipſa emanat, ſed nomine tenus dicitur emanare, ſeu proferri, ſeu dici. Et confirmatur: quia proferri, ſiue dici eſt de definitione verbi, vt conſtat; verbum autem creatũ re ipſa dicitur, & profertur; Verbum etiam diuinum, quod eſt perſona, reali emanatione profertur, & dicitur: ergo verbum eſſentiale quod re ipſa nõ dicitur, aut profertur, æquiuocè eſt verbum, cum in hac particula definitionis æquiuocè conueniat; quia etſi poſsit cogitari, vt prolatum, verè non eſt prolatũ.

Confirm.

Verbum eſſentiale ſi ſolum cogitetur vt prolatum, cũ verè nõ ſit prolatum, æquiuocè eſt verbum

7. Cõtra aliquos aduerſantes, *S. Thom.*

Quarè maximè falluntur ij, qui credunt ita pertinere ad notionem, quidditatemq; intellectionis, vt emanet ab intellectu, ſicut ad verbum. Imò S. Thom. 1. p. q. 27. hac ex parte maximè verbum contemplatur, vt ab intelligẽte emanat, quia ſcilicèt ipſam emanationem realẽ verbi definitio complectitur.

8. Verbum eſſentiale neque cogitari rectè poteſt vt prolatum, ſeu procedens ab intellectione.

Sed adhùc probatur, quòd neque cogitatione rectè conſideretur verbum eſſentiale ab intellectione diuina procedere. Nam Deus intelligit ſe ipſum abſque medio; quod eſt inter intellectionẽ, & rem intellectam nullum medium interijci; verbum autem ex parte obiecti ponimus: ergo vbi obiectum eſt proximum operationi, non poteſt poni verbũ, niſi poſt operationem, & obiectum, etiã noſtro modo intelligendi; quod eſt abſurdum, & impoſsibile: coniuncta enim operatione cum obiecto, ad quid rei erit verbum conſequens.

Probatur. 1. In Deo obiectũ eſt immediatum operationi.

9. Probatur. 2. Eſſe intelligibile diuinum ex parte rei cognitæ eſt ipsũ obiectum, & cogitatur vt occurrens intellectioni, non vt ab ea procedens.

Nos autẽ illud eſſe intelligibile, quod ex parte rei cognitæ in Deo meditamur, aimus eſſe ipſum obiectum per ſe cognitum, neque diſtinguimus ab obiecto: obiectum autem non intelligitur vt procedens ab actione, ſed potiùs vt occurrens illi; ergo etiam cogitatione mentis non poteſt intelligi quòd illud eſſe intelligibile diuinũ ab intellectione oriatur; ergo nullo modo eſt verbum, ſiquidẽ neque re ipſa, neque ſaltèm ratione, ab intellectione procedit; verbum autem eſſentialitèr eſt mentis partus, & intellectionis expreſsio. Quare ſi propriè loquendum ſit, negandũ eſt omnibus modis verbum eſſe eſſentiale in Deo.

Poſt

10. S. Thomæ argumentum cap. 13 propoſitũ ex dictis perſpicuum.

Verbum diuinum procedẽdo accipit eſſe intelligibile.

Item Amor eſſe diligibile.

Poſt hæc autem perſpicuum efficitur argumentum S. Thom. cap. præcedente propoſitum; non enim probat quòd Verbum diuinum afferat diuinæ naturæ eſſe intelligibile, & vnionem intelligibilis cũ intelligente, proindèque Verbum eſſe Deum; ſed potiùs ex eo quòd Verbum procedendo accipit hoc eſſe intelligibile, in quo intelligens & intelligibile ſunt vnum, ipſum Verbum quod vt ſic habet rationem intelligibilis, eſt ipſum intelligens, & intellectum, eſtq; Deus; & idem de Amore procedente dicendum; non enim Amor perſonalis coniungit diligibile cum diligente, quaſi afferat ſecum hanc vnionem; imò verò quia Amor diuinus proceſsione accipit eſſe diligibile, quod eſt ipſum diligens, oſtenditur quòd ex ſua proceſsione ſit Deus.

11. Imago dicitur perſonalitèr. Probatur. *S. Thom.*

*S. Auguſt.*

*S. Thom.* Imago dicitur ab imitando.

*ex S. Hilar.* definitio imaginis.

Similitudo ſecundum formã accipitur.

In imagine vt in Verbo eſt aliqđ abſolutũ, & relatio procedentis, ſeu exẽplati.

Ex iiſdem conſequitur imaginẽ quoque dici perſonalitèr, vt docet S. Thomas 1. p. q. 35. art. 1. & q. 93. art. 3. & 4. & in 1. d. 28. q. 2. artic. 2. quia imago ad aliud refertur, à quo ſcilicèt procedit, vnde S. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 1. *Quid abſurdius*, inquit, *eſt quàm imaginem ad ſe dici?* Et obſeruat S. Thom. quòd imago dicitur ab imitando; id autem quod aliud imitatur, procedit ab illo vt exẽplatum ab exemplari: & eodem modo interpretatur definitionem S. Hilarij in lib. de ſynodis, *Imago eſt eius rei, ad quã imaginatur, ſpecies indifferens.* Species enim eo loco idem eſt quod forma; ſimilitudo autem ſecundum formam accipitur. Eſt igitur imago ſpecies, ſiue forma, in qua ſimilitudo, & imitatio rei alterius inuenitur; vbi ſatis apertè deſignatur relatio ad aliud. Dicendum ergo ſicut de verbo diximus, & poſteà explicabimus, in imagine eſſe aliquid abſolutum ratione cuius imitatur ſuum exemplar; & eſſe prætereà relationem procedentis ab alio, à quo exemplatur. Ita & in diuina imagine, quæ eſt ipſum Verbũ diuinum, id quod eſt abſolutum eſt eſſentia, ratione cuius imitatur Filius Patrẽ; eſt prætereà relatio procedentis, vt exemplati, & hoc eſt perſonale, & proprietas Filij: & idcircò imago eſt quid perſonale.

12. Imago refertur ad exẽplar reali relatione ſi procedit ab eo etiam vt à pincipio productiuo.

1. exemplum

Secundum.

Aliàs non refertur relatione reali.

Ratio.

In Verbo diuino relatio quaſi exẽplati eſt realis.

Non conuenit illi relatio conformitatiſque eſt in imagine. Ratio.

Eſt etiam obſeruandum, quòd exemplar eſt cauſa, ſiue principium formale; ſed quia forma in agente eſt etiam principium actiuum, illa imago refertur ad exemplar relatione reali, quæ ab eo pro- A cedit etiam vt à principio actiuo, vt Filius à Patre: & imago artefacta ad illum, à quo eſt deducta, reali relatione refertur; ſi tamen deducta ſit ab obiecto aliquandò præſenti, quia noſtra cognitio nonnunquam procedit à rebus cognitis, etiam in genere cauſæ efficientis; ſicut etiam ſciẽtia refertur relatione reali ad ſcibile illud, à quo cognitio noſtra accipitur, vt effectus ad cauſam; aliàs non refertur ea relatione reali, neque ſcientia ad ſcibile, neque imago ad illum, cuius eſt imago. Et ratio eſt, quia forma extrinſeca non eſt cauſa realis, niſi ſit ef- B ficiens; quare exemplar, quod eſt cauſa formalis, non eſt cauſa realis imaginis, niſi ſit ſimul principium actiuum. At verò in proceſsione diuina ponimus principium quaſi actiuum, quare Filius, qui procedit per imitationem quaſi exemplatum, proprijſsimè eſt imago & relatũ reali relatione ad Patrẽ, vt ad exemplar. Eſt etiam in imagine alia relatio conformitatis, ſicùt & in ſcientia, quæ eſt tertij generis, de qua lib. 3. diſſeremus. Sed hęc non conuenit Verbo diuino, quia eſt re- C latio quaſi regulati quod eſt imperfectũ.

13. De amore.

Probatur. 1. in Deo amorẽ non eſſe eſſentialem.

Probatur. 2.

Sicut Verbum ita amor eſſentialis nonniſi poſt operationem, & obiectum coniunctum cogitari poteſt procedens.

De amore verò ſimilia omninò dicẽda ſunt; amor enim qui eſt dilectionis terminus, ex propria natura habet quòd ſit per dilectionem productus; non eſt ergo eſſentialis, ſicut de Verbo diximus. Deindè Deus per ſe ipſum eſt amabilis; ergo inter dilectionem, & ipſum Deum dilectum nihil ponendum eſt medium. Quòd ſi amor eſſentialis ſaltèm cogitãdi modo à dilectione procederet, dilectioni, & rei dilectæ poſtponendus eſſet, ita vt etiam cogitatione hæc meditãtes priùs intelligeremus dilectionem Dei, & Deum ipſum dilectum, & poſteà amorẽ eius eſſentialem, vt terminum dilectionis, quod eſt impoſsibile cogitatu.

14. Probabile eſt diuinam eſſentiam vt per ſe primò diligibilem ex parte obiecti eſſe realem perfectionem & attributum eſſẽtiæ.

Declaratur. Hæc perfectio nomine primæ bonitatis indicatur.

D Similitèr credibile eſt diuinam eſſentiam, vt per ſe primò diligibilem, eſſe quid reale, quod attributum meditamur ex parte obiecti dilecti. Et illam identitatem realem rei dilectæ cum voluntate, ita vt res per ſe primò dilecta, & diligibilis ſit ipſa voluntas, arbitramur indicare quandam perfectionem in ratione diligibilis, & eſſe attributum eſſentię, quæ perfectio indicatur nomine primæ bonitatis; non tamẽ quòd hoc eſſe diligibile ſit mediũ inter potentiã, & obiectũ: & cętera, ſicut de verbo, coaptanda ſunt.

Dicen-

15\. Dicendum ergo quòd Amor, qui eſt dilectionis terminus, eſt duntaxat perſonalis, non eſſentialis. Eſt autem de ratione amoris, qui eſt dilectionis terminus, vt rem ipſam amabilem præſtet quaſi ratio diligibilis; ſicut verbum rem declarat, vt ratio intelligibilis. Hoc autem habet Amor perſonalis ratione eſſentiæ; & quia eſſentia per ſe ipſam abſque medio eſt ipſa ratio amabilis, Amor perſonalis quatenùs eſt eſſentia, ipſam amabilem exhibet, quia eſt ipſa ratio amabilis. Et ita cætera etiam concinnãda ſunt, & componenda, vt de Verbo diximus.

*Quòd rẽ amabilem præſtet vt ratio diligibilis, amor perſonalis habet ratione eſſentiæ.*

### *Confirmatio.*

16\. NOſtram ſententiam firmat S. Auguſtini auctoritas indubia. Nam 5. lib. de Trinitate cap. 13. docet verbum dici relatiuè. Et lib. 6. cap. 2. planiſsimè, *Verbum*, inquit, *ſolus Filius accipitur.* Ergo eſſentia non dicitur verbum, ſiquidèm diſtinguit ibi eſſentiam à perſona. Et lib. 7. cap. 2. *Non eo verbum quo ſapientia.* Quibus verbis nihil clarius: quaſi dicat proprietate eſſe verbum; eſſentiâ verò ſapientiam. Et S. Anſel. Monolog. c. 60. Hoc eſſe ait mirabile quòd cum tres loquantur, vnum ſit Verbum, ſcilicèt Filius; nam ſi poneret verbum eſſentiale, & commune, nihil mirũ quòd eodem verbo tres loquerentur; ſicut eâdem ſapientiâ ſunt tres ſapientes: ſed quia conſiderauit verbum eſſe id quod procedit, vnam perſonam dixit Verbũ, & tres loquentes; quod tamen S. Anſelmus minùs propriè dixit; nam & loqui eſt verbum producere, quod eſt propriũ Patris, ſicùt verbũ eſt quod producitur. Quidam S. Anſelmum alitèr interpretãtur, vt non dixerit perſonas loqui verbo, ſed illi Summo Spiritui idem eſſe loqui, & intelligere; quod poteſt Patri accommodari. Sed S. Anſelm. addit prætereà eſſe tres loquentes, & vno verbo loquentes. Quamobrem dixit meliùs S. Thom. q. 34. art. 4. ad 3. Sanctum Anſelmum impropriè fuiſſe loquutum, qui perſonas diuinas loquẽtes inducat. Perſpicaciùs dixit Doctor Albinus libello 28. q. 9. de Trinit. *Non poſſumus dicere Verbum de Verbo, quia relatiuum nomẽ eſt Verbum, quod ſolus eſt Filius.* Eſt ergo nomen ſolum perſonale. At verò eiuſdẽ opinionis teſtamur S. Thom. haud incertum aſſertorem; nam 1. p. q. 34. art. 1. ait verbum ex propria ratione dici aliquid procedens, id autem quod procedit in Deo eſt perſona, non eſſentia. Et ſolutione ad 2. nihil ait pertinere ad intellectum diuinum quod ſit perſonale, niſi ſolum Verbum. Et eodem articulo concludit Verbum dici duntaxàt perſonalitèr, retractans (vt æquum eſt credere) ſententiam, quam in libr. ſententiarum tenuerat. Idem ſentit Alexan. Alenſ. q. 42. memb. 2. & Henricus Gandau. in ſumma, art. 4. q. 7. S. Bonauentur. d. 27. q. 2. Ioan. Scotus ibidem. Ægidius & Richar. q. 2. ar. 2. Heruæus tract. de Verbo q. 5. art. 1. vbi docet emanationem à loquente eſſe præcipuum in verbo. Et eſt communis Doctorum conſenſio.

*S. Auguſtini locus primus. — Secundus. — Tertius clariſſimus. — S. Anſelm. — Idem dixit in Deo eſſe tres loquentes. — Aliquorum cõmentarius. — Reijcitur. — S. Thomas meliùs ait eũ impropriè loquutum. — Albinus. — S. Thoma locus 1. — Secundus. — Tertius. retractat contrariam ſentẽtiam alibi traditam. — Alex. Al. — Henr. Gãd. — Scotus. — Ægid. — Richard. — Heruæus.*

## CAPVT XV.

### *Argumenta refelluntur.*

1\. PRimò arguitur oſtendendo Verbum in Deo non eſſe perſonam; verbum enim ex propria ratione eſt id quo formalitèr intelligit is, qui verbum dicit, & eſt forma eius intelligibilis: ſed Filius Dei non eſt id quo formalitèr Pater intelligit; neque eſt eius forma intelligibilis; ſiquidèm non eſt eius perfectio, ſed perſona diſtincta; ergo Filius propriè loquendo non eſt Verbum Patris. Et confirmatur, quia verbum eſt perfectio intelligentis perficiens intellectum.

*1. argum. — Confirm.*

2\. Secundò probatur, quòd Verbum in Deo ſit propriè eſſentiale, nam loqui & dicere non accidit ſine verbo, vt liquet; ſed loqui & dicere in Deo eſt quid eſſentiale, & cõmune tribus perſonis, vt docent S. Auguſt. 7. de Trinitate cap. 1. & S. Anſel. Monolog. cap. 60. ergo in Deo eſt verbum eſſentiale, ſicut & dicere eſſentiale eſt. Et S. Ambroſ. lib. contra Arianos cap. 5. permittit dicere, Verbum de Verbo: ergo eſt nomen eſſentiale Patri, & Filio commune. Marius etiam Victor. lib. 1. contra Arium, Filium appellat vocem Patris, & Spiritum Sanctum vocem vocis, & Patrem appellauerat vocem in ſilentio, & libr. eodem dicit prodijſſe logon à logo, id eſt, Verbum à verbo: ergo eſt nomen commune, non perſonale.

*2. argum. — S. Auguſt. — S. Anſelm. — S. Ambroſ. — Mar. Vict.*

3\. Tertiò, idem probatur, verbum quod eſt perſona declarat, ſiue repræſentat res

*3. argum.*

res ratione eſſentiæ diuinæ, quam includit, vt diximus; ergo ipſa eſſentia præcipuè verbum eſt. Probatur conſequentia, nam repræſentare eſt propria ratio verbi; cum igitur hoc conueniat perſonæ ratione eſſentiæ; multò magis in ipſa eſſentia inuenitur ratio verbi.

4. 4. argum. Quartò ad idem arguitur, verbum enim ex propria ratione eſt quædam forma intelligibilis, & minùs principalitèr in obliquo habet relationem ad dicentem; eſſentia autem diuina, eſt ipſa forma intelligibilis, perſona verò eſt relatio. Cum igitur id quod eſt præcipuum in verbo ſit eſſentiale, & quod eſt minus præcipuum ſit perſonale, potiùs eſſentia eſt verbum, quàm perſona.

5. 5. argum. Quintò probatur, quòd verbum propriè non inueniatur in Deo, neque vt eſſentiale, neque vt perſonale; verbum enim ex propria ratione eſt quædam forma intelligibilis producta à dicente, ex parte obiecti declarans rem cognitam, ſed in Deo forma intelligibilis, quæ eſt diuina eſſentia non producitur; ſed neque eſt aliqua forma intelligiblis in Deo ex parte obiecti; ergo ratio propria verbi non inuenitur in Deo. Minor propoſitio quoad alteram partem fide Catholica comprobatur: quoniam neque eſſentia diuina, neque aliquid eſſentiale, quod idem eſt, producitur. Quoad alteram verò partem, quòd in Deo non ſit forma intelligibilis ex parte obiecti, probatur: nam ea forma ponitur ad repræſentandam rem, quod autem eſt præſens non repræſentatur per aliud; ergo cum diuina eſſentia ſit totum, adęquatumque obiectum diuinæ cognitionis, & ſit per ſe ipſam præſens, non eſt neceſſe meditari formam intelligibilem repræſentantem ex parte obiecti; ergo nulla ratio verbi propria in Deo inuenitur.

6. 6. argum. Sextò, verbum duo habet & quòd ſit forma intelligibilis, & quòd repræſentet res cognitas; eſt autem forma ipſa res quædam, repræſentare verò eſt relatio rationis: tunc ſic arguitur; In Deo non eſt forma illa intelligibilis ex parte obiecti, vt probatum eſt; ſed eſt ſola relatio rationis, quod eſt repræſentare; ſed verbum non eſt relatio rationis, ſed res quæpiam; ergo in Deo vbi ſola repræſentatio inuenitur, non eſt propriè verbum.

A Vltimò idem probatur de Amore procedente, & poſſumus eadem argumenta repetere; eſt enim in nobis amor dilectionis terminus forma quędam per dilectionem producta, per quam res eſt actu diligibilis, & eſt perfectio diligentis; & habet etiam relationem rationis ad rem dilectam: quare ſimilia argumenta conficiuntur vt de verbo. Sed hoc eſt in re propria ſingulare; appetibile enim conſequitur bonum, bonum autem in Deo eſt relatio rationis; quare & appetibile relatio rationis eſt: ergo B amor in Deo non ſignificat aliquam formam realem ex parte obiecti, qua ratione conueniat cum amore creato, qui eſt terminus per dilectionē productus, & ex parte obiecti terminat dilectionē. 7. Vlt. argum.

*Aduertenda.*

8. 1. aduert. Illa quæ propriè rebus creatis & diuinis cōueniunt, licèt plurimùm diſtent, analoga ſunt.

AD confutanda iſthæc argumenta opus eſt aduertere, quòd illa quæ propriè conueniunt rebus creatis, & diuinis, analoga ſunt; qua analogia relatio, & abſolutum poſſunt conuenire in aliqua intelligentia communi, & res alię plurimùm diſtantes; verbi gratia, di- C uina perſona eſt verè & propriè perſona, ſicut & creata; cum tamen diuina perſona ſit relatio, creata verò ſit quid abſolutum. Imò in relationibus, quia relatio eſt conceptus communis relationibus realibus, & rationis, vt dicemus libro tertio, aliqua relatio quæ in nobis eſt realis, eſt in Deo rationis; & tamen verè & propriè attribuitur Deo: nam ab actione tranſeunte ſola relatione rationis dicitur Deus relatiuè agens; verè tamen & propriè dicitur agens relatumque relatione agentis, licèt hęc re- D latio ſit in nobis realis, & in Deo ſit rationis.

1. exemplum de perſona.

Secundum de relatione agētis.

9. Meditanda igitur nobis eſt quædam verbi definitio, quæ verbo creato & increato ſit communis, cum vtrumque haud dubiè ſit propriè verbum: Deindè ponderandum eſt in quibus differant. Verbum ergo eſt id quod per intellectionem procedit, vt forma intelligibilis, repræſentans. Et nullus Philoſophorum ab hac definiēdi ratione diſcordat, quam etiam capite præcedente propoſuimus, explicauimusque. Et in eadem definitione conueniunt verbum increatum & creatum.

Verbo creato & increato cōmunis definitio.

10.
1. particula explicatur.

Relatio producti in verbo creato eſt ſignificatio in obliquo, & minùs præcipua.

In diuino eſt præcipua.

Differunt tamen iam primùm quoad hoc, quòd verbum creatum eſt quid abſolutum principalitèr, & in rectò, ſcilicèt intelligibilis forma; ſed quia talis eſt forma quæ eſt intellectionis terminus per illam productus, non poteſt definiri ſine relatione ad dicentem: & ita in obliquo indicat relationem ad dicentem. Verbum autem increatum, quod eſt perſona, principalitèr & in recto eſt quædam relatio ſubſiſtens, quæ eſt relatio procedentis à Patre dicēte, ſiue producēte Verbum; & in obliquo continet formam intelligibilem repræſentantem, quæ eſt diuina eſſentia, vt lib. 4. elucidabimus. Hæc autem diuerſitas latet in analogia communis conceptus, ita vt vnum & alterum verbum ſit propriè verbum, illo communi conceptu, quem definitio data ſatis explicat, licèt relatio producti in altero verbo ſit præcipua, in altero in obliquo & minùs præcipua, vt diximus.

11.
2. particula.

Forma intelligibilis communis.

Illa ſpecialis quæ eſt ex parte obiecti.

De forma autem intelligibili, quæ eſt pars altera definitionis, dicendum eſt. Et illud attendendum quòd forma intelligibilis repræſentans eſt aliquid cōmune, quaſi genericum ad ſpeciem impreſſam, & verbum, quod adiunctâ differentiâ ſpeciem indicat. Et in verbo creato differentia, qua verbum differt ab ſpeciē impreſſâ duo cōtinet, ſcilicèt quòd producatur per intellectionem, & quòd ſit forma repræſentās ex parte obiecti, media inter intellectionem, & obiectum. Et quidèm quòd producatur per intellectionem, Verbo increato conuenit; ſed de forma intelligibili ex parte obiecti diſputandum.

12.
In opinione conſtituēte in Deo formam intelligibilem ex parte obiecti vtrumque verbum in ea ſpeciali conuenit.

Differunt. 1.

Secundò.

In Deo ergo ſi quidèm conſtituamus formam intelligibilē ex parte obiecti, vt cap. antecedēti probabile ſenſimus, omnia quadrāt egregiè; ſignificat enim Verbum diuinū formā intelligibilē repræſētantem ex parte obiecti, ſicut & verbum creatum; & illa ſola ſupereſt differentia modò aſsignata, quòd Verbum diuinum ſignificat illam formam, quæ eſt ipſa eſſentia in obliquo; verbum autem creatū ſignificat illam principalitèr, & in recto. Illud tamē in ipſa forma intelligibili diſcriminis eſt, quòd in rebus creatis illa eſt medium, & ponitur ad repræſentandam rem, quæ per ſe ipſam non eſt præſens: in Deo autem neque eſt mediū, neque ponitur ad repræſentandam rem, quæ non

A ſit præſens. Imò præſentia obiecti, quod eſt per ſe primò coniunctum cum intellectu, eſt forma intelligibilis, quam meditamur.

13.
In opinione contraria, Verbum diuinum non eſt forma intelligibilis ex parte obiecti.

Sed quia oportet virum Theologū nō cogi anguſtijs in rebus ad fidem attinētibus, neque opinione noua eſſe contentum; dicēdum eſt in opinione contraria, Verbum diuinum nō eſſe formam intelligibilē ex parte rei cognitæ, ſed eſſe ipſam eſſentiam, quę eſt forma intelligibilis ſaltem ex parte cognoſcētis in ratione ſpeciei impreſſæ; & quòd eadem ſpecies impreſſa (vt ita clariùs dicam) quæ eſt diuina eſſentia, dum cognoſcitur per diuinam intellectionem, repræſentat ſe & omnia; & ita eadēmet ſpecies impreſſa ex parte rei cognitæ, pertinet ad rationem Verbi diuini. Neque enim negari poteſt diuinam eſſentiam eſſe formam intelligibilem, & rationem intelligendi, quæ vt ſic repræſentat res omnes: hæc igitur forma intelligibilis repræſentans, quæcunque ſit, conſiderata ex parte obiecti vt repræſentatiua rei, continetur in ratione propria diuini Verbi.

14.
In nobis producitúr abſolutum.

In Deo relatiuum.

Et poſſumus ad hæc addere quòd in nobis, vt hoc lib. explicabimus, producitur natura, & forma perficiens; & id quod producitur eſt quid abſolutum. In Deo verò non producitur natura, aut forma, ſed communicatur; id autē quod producitur eſt relatiuum; quare hoc ipſum eſſe intelligibile, ſiue intelligibilis forma, quæ eſt diuina eſſentia communicata perſonæ procedenti, complet perfectiſsimè rationem Verbi; licèt dicamus differre in hoc à verbo creato, quòd iſtud creatum eſt forma diſtincta ab ſpecie impreſſa, in Deo autem ipſum verbum non eſt diſtincta forma, ſed eadem. Quòd ſi & in Deo has formas intelligibiles liceat ratione formali diſtinguere ex parte intelligentis, & ex parte obiecti, vt priori opinione tuemur, omnia tunc erunt aptiſsimè concordantia.

25.
De amore diuino procedente ingens difficultas in hac poſteriori opin.

In ea adhuc eſt aliquid reale ex parte obiecti quod verbū ſignificet in obliquo: nēpè ſpecies impreſſa, quæ eſt eſſētia, eadem conſiderata ex parte obiecti.

Sed his poſitis de Amore diuino procedente ſe ſe offert ingens difficultas. Nam reiecta illa priori ſententia, quòd in Deo ſit forma intelligibilis ex parte rei cognitæ, adhùc tamen dicimus Verbum diuinum ipſam ſpeciem intelligibilem impreſſam, quæ eſt forma ex parte potentiæ cognoſcentis, cōſiderantes eādem ex parte rei cognitę, quam dicimus verbum. Et ita Verbum diuinum adhùc eſt

*In Amore quid nã tale in hac poſteriori opinione?*

eſt intelligibilis forma. Sed de Amore A procedente, qui eſt Spiritus Sanctus, non poſſumus dicere ſimilia; nam illa opinione confutata, quòd etiam in Deo ſit forma quædam, qua ipſa eſſentia ex parte obiecti ſit per ſe primò diligibilis, & ſit ipſa ratio diuinæ dilectionis; hac (inquam) opinione cõfutata, diuinus Amor non eſt dilectionis terminus quaſi forma ex parte obiecti, ſicut de Verbo diximus. Atqui videntur ſimilia omninò dicenda de Amore procedente, & de Verbo in quæſtione propoſita. Quoniã ſicùt verbum ex propria ratione eſt res quædam, ita & amor; ergo ſicut verbum ex B propria ratione ſignificat quandam formam intelligibilem ex parte obiecti cõſideratam; ita & amor ſignificat ex propria ratione quandam formam diligibilẽ, hoc eſt, quæ ſit ratio diligendi ex parte obiecti. Nam quoad hoc ſimilia perpetuò diſputauimus de verbo, & amore, cum vtrumque ſit intrinſecus terminus operationis. Si autem ratio diligendi, quod dicimus eſſe per ſe primò diligibile, non eſt forma aliqua cõſiderata ex parte obiecti, ſcilicèt ipſa diuina eſſentia; ſed eſt ſola relatio rationis, ita vt eſſe diligibile ſolam relationem rationis deſignet; Amor diuinus ſecundum id quod indicat in obliquo in eſſentia diuina, nõ C erit res vera; cum tamen Verbũ diuinũ in ipſa eſſentia deſignet realem formam intelligibilẽ, ſaltem impreſſam. Explicatur hoc magis, nam Amor diuinus non ſignificat ſolã relationẽ procedentis per volũtatem, ſed ſignificat etiam ex parte termini aliquid eſſentiale pertinens ad voluntatẽ; hoc enim indicatur nomine amoris: ſed nõ ſignificat dilectionẽ, quia Amor procedens nõ ſignificatur vt dilectio, ſed vt dilectionis terminus; ergo ſignificat diuinã eſſentiam, vt eſt per ſe primò diligibilis, & ratio diligendi. Quòd ſi his verbis non indicatur forma quædam realis (repudiata illa priori ſententia) D conſequens eſt vt hoc nomen, amor, in Deo non ſignificet rem aliquam eſſentialem in Deo, ſed ſolam relationem rationis in diuina eſſentia.

*Similia tamẽ dicẽda de Verbo, & Amore.*

16. *Ad difficultatem de Amore diuino, Reſpond. 1.*

Ad hæc imprimis videtur eſſe dicendũ, quòd argumentum valdè vrget, vt priorem illam ſententiã, quam diximus probabilẽ, vt certã ſtatuamus; qua videlicèt poſita, omnia de verbo, & amore egregiè conſentiũt. Si enim eſſe per ſe diligibile eſt in Deo eſſe reale, hoc ipſum eſt, quod amor diuinus ſignificat.

Deindè aſſerimus eadẽ omninò eſſe de Verbo, & Amore diuino cõmentãda; abſurdiſsima enim res eſſet, ſi crederemus diuinum Verbũ indicare in diuina eſsentia formam realem, diuinum verò Amorem ſolam relationẽ rationis. Quãobrẽ repulſa (ſi placet) priori opinione, poſsumus ad argumẽta reſpõdere, quòd ſicut in diuina intellectione philoſophãdo ex noſtris, meditamur eſsentiã quaſi ſpeciem impreſsam, quæ eſt forma intelligibilis; & ita eſsentia coniungitur cũ intellectu in ratione ſpeciei, quæ vt ſic conſiderata ex parte obiecti pertinet ad rationem verbi: ita quoque in dilectione diuina meditamur non formam aliquã voluntati impreſsam, quæ ſit quaſi ſpecies impreſsa; ſed cogitamus ipſam eſſentiam reali vnitate, & identitate coniunctam voluntati, qua coniunctione voluntas eſt ſuapte naturâ propenſa ad eſsentiam diuinam diligendam: hæc autem naturalis propenſio voluntatis conſiderata ex parte obiecti, quatenùs ipſa etiam cum voluntate coniuncta, eſt ipſum obiectum voluntatis, eſt formalis ratio diligibilis, pertinetq; ad Amorem diuinum procedentem, vt ad finem huius libri diſputabimus vberiùs; ex parte igitur obiecti conſiderata pertinet ad rationem amoris; & non eſt dilectio, vt arguendo obijciebatur, ſed dilectionis terminus.

17.

*Reſpond 2. eã admittendo.*

*Ex cõiunctione eſſentiæ diuinæ cum voluntate eſt in ea propẽſio naturalis ad eſsẽtiam diligendam, quę æquiparatur ſpeciei impreſſæ in intellectu.*

Prætereà dicendum eſt, nullum eſse abſurdum vt dicamus Verbum diuinum nihil reale indicare, quod pertineat àd intellectum ex parte termini, ſed ſolùm ex parte principij; eſt enim Verbum diuinum id quod procedit per intellectionem, ſemper enim intellectionem à verbo oportet diſtinguere, vt anteà docuimus: in eſsentia verò non indicat aliquid pertinens ad intellectum ex parte termini, ſed indicat eſsentiam, & relationem repræſentandi conſequentem ad eſsẽtiam, quatenùs eſt cognita. Nam excluſa illa priori ſententia, eſsentia ſecundùm eſse intelligibile ex parte obiecti, nõ eſt aliqua forma realis. Et improbata reſponſione ſecunda, verbum non ſignificat ſpeciem impreſsam intelligibilem conſideratã ex parte obiecti; ergo neque verbũ, vt eſt terminus intellectionis, ſignificat in eſsentia formam realem intelli-

18. *Reſpond 3. dicendo quòd verbum nihil reale intelligibile indicat ex parte termini, ſed ſolas relationes repræſentantes, quæ ſunt rationis.*

intelligibilem; ſignificat ergo ſolas illas relationes rationis, quas eſſentia vt cognita ſibi acquirit, ſcilicèt quòd repręſentet res alias: Verbum enim diuinum repręſentat ratione eſſentiæ. Et ex iſta reſponſione, ſi ea placet, negandũ eſſe colligitur, quòd Verbum diuinum ratione formali vt Verbum eſt, ſit forma intelligibilis, hoc eſt, forma informans intellectũ, ſed alia ſignificatione eſt forma, hoc eſt, imago intelligibilis ab intellectu producta. Similiaq; dicamus de Verbo diuino & Amore: nam ſicut approbata reſpõſione hac vltima, amor non poteſt fingi forma diligibilis perficiens voluntatem, ita neque verbum forma intelligibilis perficiens intellectum.

Iuxta hoc, Verbum diuinũ ratione formali vt Verbũ eſt, non eſt forma intelligibilis perficiens intellectũ, ſed ab intellectu producta.

19\. Vltimum aduertend.

Non eſt error contra fidem aſſerere, quòd verbum ſit etiam eſſentiale.

S. Thom. S. Anſelm.

Illud poſtremò, antequàm reſpõdeamus ad argumenta, obſeruandum eſt, nõ eſſe errorem cõtra fidem aſſerere; quòd Verbum ſit etiam eſſentiale. Nam hoc affirmant Doctores nonnulli; & S. Thomam in ſententijs, Sanctumq; Anſelmũ certum eſt ita ſentire; aiunt enim verbũ duplex eſſe, aliud amplo quodam nomine, vt etiam id quod non procedit reali proceſsione, ſit Verbũ; aliud verò ſignificatione nominis magis propria, quod eſt verbum reali emanatione productũ; illud (inquiunt) eſſentiale eſt in Deo, hoc perſonale. Ideòq; S. Thomas ibidẽ ait quæſtionem hanc circa nominis ſignificationem verſari, cũ veritas ipſa liqueat remota æquiuocatione nominis: ſed tamen ſi ex propria definitione verbi veritatem ipſam indagemur; videtur ſanè verbum non eſſe eſſentiale, ſed perſonale, vt diximus.

S. Thomas ait eſſe quęſtionem de nomine.

Propria definitio verbi non conuenit eſſentiali.

*Reſponſio.*

20\. Ad 1. argum. Verbum diuinum non eſt id, quo formalitèr Pater intelligit, nec perfectio intelligentis.

AD primũ argumẽtum diſtinguitur maior propoſitio, quòd verbum ſit id quo formalitèr quis intelligit, & perfectio intelligentis: nam de verbo creato veriſsimum eſt, ſed de Verbo increato falſum, vt argumento oſtenditur: quarè hoc non pertinet ad rationem verbi communis, qua verbum creatum & increatum continentur.

21\. Ad ſecundum. Dicere in Deo non eſt eſſentiale.

Ad ſecũdum negatur minor propoſitio quòd dicere in Deo ſit eſſentiale; ſed S. Auguſtinus, & S. Anſelmus loquuntur impropriè, & vterque aliàs nobiſcũ conſentit, vt confirmatione capitis præcedentis eſt notum. Sanctus verò Ambroſ. non aſſerit, ſed permittit diſputanti, & dicenti Verbum de Verbo, non enim loquitur ibi ex propria ſententia, *ſiue dicas*, inquit, *lumẽ de lumine, ſiue Verbum de Verbo.*

22\. Ad tertium. Propria ratio verbi non eſt repræſentare, ſed procedere ab alio.

Ad tertium negatur conſequentia ex eo quòd Verbum diuinum, quod eſt perſona, repræſentet ratione eſſentiæ, quòd ipſa eſſentia ſit Verbum. Et in probatione conſequentiæ negatur antecedens, quòd propria ratio verbi ſit repræſentare; ſed ea ratio eſt communis etiam ſpeciei intelligibili: at in ratione propria verbi includitur quòd procedat ab alio, & idcircò eſſentia diuina non eſt verbũ.

23\. Ad quartum. Reſpond. 1.

Ad quartum conceditur totum antecedens, & quòd id quod eſt præcipuum & in recto in verbo creato, ſcilicèt forma intelligibilis, eſt minus præcipuum, & in obliquo in Verbo increato; ſed verbum vtrique cõmune abſtrahitur ab iſtis rationibus proprijs; & ita argumentum non concludit. Reſpondetur ſecundò, quòd ſi conſideretur Verbum diuinum ſecundũ eſſe intelligibile, ſignificat principalitèr eſſentiam; nam & perſona diuina ſecundum aliquam conſiderationem ſignificat eſſentiam principalitèr, vt dicemus lib. 4.

Reſpond. 2. Verbum diuinum ſecundũ eſſe intelligibile ſignificat principalitèr eſſentiam.

24\. Ad quintum. Perſona, ſeu Verbum, quod eſt forma intelligibilis, producitur: nõ verò forma ipſa in abſtracto.

Ad quintum reſpondetur explicando maiorem propoſitionem, quòd verbum ſit forma intelligibilis producta; nam ſi forma ſumatur vt nomen abſtractũ, quo pacto in Deo forma intelligibilis eſt eſſentia, & non perſona, negatur quòd pertineat ad rationem communem verbi, vt ſit forma producta; ſed ſatis eſt quòd id, quod eſt forma, ſcilicèt perſona illa, quæ eſt forma intelligibilis, producatur. Reliqua verò pars maioris propoſitionis, quòd Verbum ſit forma intelligibilis ex parte rei cognitæ, iuxta probabilem ſententiam admittitur. Et ad argumentum, quo improbatur hęc ſententia, reſpondetur diſtinguendo antecedens, quòd ea forma ponatur ad repræſentãdam rem, quæ non eſt præſens: nam in rebus creatis verum, in Deo id falſum eſt. Imò ipſa præſentia obiecti, ſeu potiùs vnitas obiecti cum intelligente eſt forma intelligibilis ex parte obiecti ad modum explicatum in notationibus. Verum eſt quòd repræſentare propriè accidit, cum res non pręſens, ſit pręſens. Et ita loquutio minùs propria eſt, quòd aliquid repræſentet ſe ipſum; & hac eloquutione impropria dicitur eſſentia diuina repræſentare res intelligibiles ſicùt & ſe

Ad reliquam partem argumenti de forma intelligibili in Deo ex parte obiecti. Reſpond. 1. iuxta primam reſponſionem probabilem ſuprà.

& ſe; nam & illas in ſe repræſentat. Sed ita loquimur, vt loquamur clarius; difficile enim eſt intelligere, ne dicam proprio nomine explicare quomodò res in eſſentia diuina contineantur ſecundum eſſe intelligibile, quod repræſentari dicimus. Sed ſi hæc opinio de forma intelligibili in Deo ex parte obiecti, quę probabilis eſt, non placet; explicandum eſt

Reſpond.2. iuxta ſecūdā.

id quod in argumento proponitur verbum eſſe formam intelligibilem ex parte rei cognitæ; ſi enim intelligas verbum eſſe formam diſtinctam ab ſpecie impreſſa, negatur quòd hoc pertineat ad rationem communem verbi; ſed ſatis eſt, vt diximus in notationibus, quòd ipſa eſſentia diuina, quæ eſt principium intellectionis quaſi ſpecies impreſſa, & eſt forma intelligibilis repręſentans res, conſideretur à nobis vt cognita, & vt in ea ſic cognita, res repræſententur. Et ita Verbum diuinum procedit per intellectionem, & eſt forma intelligibilis ex parte obiecti, hoc eſt conſiderata vt cognita, etſi non ſit forma diſtincta ab ſpecie impreſſa. Poſtremò reſpondetur

Reſpond. 3. iuxta tertiam.

iuxta reſponſionem tertiam in notationibus datam negando antecedens, quòd verbū vt ſic, ſit forma intelligibilis perficiens intellectum: ſed ſatis eſſe ad rationē verbi, quòd de intellectione procedat repræſentans intelligibilia ratione eſſentiæ.

25. Ad 6. Reſpond. ex 5. argum.

Ad ſextum negatur antecedēs, quòd Verbum diuinum vt eſt forma intelligibilis, ſit ſola repræſentatio, quæ eſt relatio rationis, ſed eſt ipſa eſſentia, vt explicatum eſt in illis tribus reſponſionibus.

26. Ad vltimum de amore procedēte reſpōd. vt ad 5. arg.

Ad vltimum reſpondetur, de amore qui eſt terminus dilectionis, ſimilia ac de verbo eſſe dicenda. Ad argumentū verò reſpondetur iuxta illam opinionem, qua meditamur eſſentiam diuinam, vt formam ex parte rei dilectæ, concedendo quòd appetibile eſt relatio rationis: ſed per hoc nomē relatiuum indicamus illud eſſe abſolutum, quod eſt eſſentia diuina, vt per ſe primò coniungitur in ratione obiecti cum voluntate diuina, & hoc eſt eſſe reale, & abſolutum. Hac autem opinione reiecta dicēdum eſt amorem procedentē in Deo ſignificare propenſionem diuinæ voluntatis, vel eſſentiam, vt eſt obiectum diuinæ voluntatis, modo in notationibus elucidato.

A

## CAPVT XVI.

*Spiritus Sanctus eſt Amor, non genitus, ſed procedens.*

PRopoſita re quapiam, prima diſputatio oritur de eius diſtinctione, qua ab alijs rebus ſecernitur: cum igitur cōſtitutū ſit iam, quòd Spir. Sanct. ſit Amor per dilectionem procedens, ſuccedit loco iſto, vt inquiramus ſitnè hæc proceſſio generatio? Cum autem diuina proceſſio ſola diuini oraculi aſſertione ſit nota, à ſacris literis id quod quærimus B petendum eſt. Conſtat autem Filiū Dei, qui eſt diuinum Verbum, dici genitum & Filium; at Spiritum Sanctum, qui eſt Amor per dilectionem procedens, non dici genitum aut Filiū, ſed procedentē. De diuina generatione ſit mentio Pſal. 2. & 109. & Eccleſiaſtici. 24. & Prouerb. 8. Iſaiæ 53. & 66. Epiſtola Ioan. 1. cap. 5. & Paul. ad Coloſſ. 1. & in vtroque teſtamēto de Filio plurima ſunt, quæ indicāt generationē; filius enim non eſt, niſi qui genitus eſt. De Spiritus Sācti proceſſione Euangelium meminit. Eſt ergo Filius C genitus; Spiritus Sanctus verò non genitus, ſed procedens. Quod præcipuè confirmāt verba illa Ioan. 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*. Nam ſi Filius eſt vnigenitus, vnus ille eſt genitus; Spiritus verò Sanctus non eſt genitus, quia eſſent duo geniti. Dicitur etiā vnigenitus Ioan. 6. *Vt Filium ſuum vnigenitum daret*. & in altero ſymbolo Filium vnicū dicimus, in altero vnigenitū. Quod autē dicitur Roman. 8. *Primogenitus in multis fratribus*. non eſt argumentum vt inter genitos ſit primus, ſed vt ſit genitus ante quē nullus eſt genitus; ſicut de primogenito Virginis Deiparę diſputat S Hieron. lib. contra Eluidium hæreticum arguentē eſſe plures genitos Mariæ, ex eo D quòd Chriſtus dicatur primogenitus. Habet etiam ille locus alium commētariū, quòd ſicut imperfecta quæquæ reducuntur ad prima alterius generis, vt omnis ſapientia ad ſapientiam primam, quæ eſt increata; & illud primum eſt extra genus cæterorum: ita & adoptiua filiatio, qua dicimur filij Dei per adoptionem, reuocatur ad primam filiationē diuinam, quę eſt vera, & naturalis; non tamen quòd filiatio adoptiua ſit propriè filiatio; filiatio enim naturalis creata verè & propriè eſt

Marginalia (right): 1. — Quòd in Deo Filius ſit genitus. — *Pſal. 2. & 109.* — *Eccleſ. 24.* — *Prouerb. 8.* — *Iſaia. 53. & 66.* — *Ioan. 1. c. 5.* — *Ad Coloſ. 1.* — Quòd ſolus ſit genitus *Ioan. 1.* — *Ioan. 6.* — *Vtrūq; Symbolum.* — *Roman. 8.* — Ad hunc locū 1. interpretatio ex S. Hier. — 2. interpret.

eſt filiatio, adoptiua verò metaphoricè, non propriè: ſed nihilominùs ad eum modum quo filiatio naturalis creata reuocatur ad illam primam increatam, ita & adoptiua, quæ tamen propriè filiatio non eſt; quemadmodùm dicitur ad Coloſſ. 1. Filius Dei *primogenitus omnis creaturæ*, cum tamen ille creatura non ſit, ſed quia creaturæ ab eo procedunt.

*Coloſſ.* 1.

3. interpretatio Poteſt etiam explicari quòd ſit *primogenitus in multis fratribus*, ſcilicèt carne aſſumpta, qua eſt frater verus ex Adamo progenitus: in qua progenie eſt primogenitus, tanquam verus hæres, cuius eſt hæreditas, ſcilicèt primus prędeſtinatus. Vtrumque commentarium approbat S. Thomas loco commemorato. Eſt ergo ipſe primogenitus, vnicus, & vnigenitus, quia Spiritus Sanctus non eſt genitus.

*S. Thom.*

2. Ad locum *Prouerb.* 4. *Ianſen.* Quod autem dicitur Salomon vnigenitus matris, Prouerb. 4. cum habuerit fratres tres, quod eo loco commonſtrat Ianſenius, non infirmat noſtrum argumentum. Nam verè vnigenitus dici non potuit, qui non fuit vnicus genitus: ſed eſt dictus vnigenitus quaſi vnicè dilectus, iuxta translationem 70. Interpretum. *At* verò Filius Dei hac ratione vnigenitus dici non potuit, cum Spiritus Sanctus ſit æquè dilectus, atque ille eſt. Et nomen hoc Filij eſt perſonale, nomẽ proprium perſonæ: quare ſimplicitèr & propriè vnigenitus dicendus eſt, qui ſolus eſt genitus. Spiritus Sanctus autem non genitus, ſed ſpiratus.

Explicatio 70. Interpret. Vnigenitus, id eſt, vnicè dilectus Filius Dei nó ſic vnigenit.

3. *Ruicus* contra Eraſmum. Eraſmus obiurgatur à Ruico libr. 7. errore 4. eo quòd dixerit Spiritum Sanctum non vocari Filium, quia non legitur genitus, *Non*, inquit, *idcircò non appellatur Filius, quia non legitur Filius, ſed quia verè non eſt Filius; aliàs liceret Spiritum Sanctum appellare Filium, ſi verè Filius eſſet, etſi Filium apud antiquos non legeremus.* Fortè Eraſmus hoc non negauit; ſed vſus eſt argumento, quod plurimùm valet apud Patres in rebus diuinis; vt id ſolùm aſſeratur à nobis quod legimus in ſacris literis, vel in illis continetur per conſequentiam. Et idcircò quia Spiritum Sanctum non legimus genitum, non debemus dicere genitum.

Reprobat argument. quod apud Patres plurimùm valet in rebus diuinis.

*Confirmatio.*

4. IN ſententia propoſita, quæ eſt fide Catholica aſſerenda conſentiunt omnes Patres, & Doctores, quos longum eſſet recenſere; definita eſt in Symbolo Sancti Athanaſij, *Spiritus Sanctus non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Et in Concilio Epheſino 1. Epiſtola Synod. Et Toletano. 1. in confeſſione fidei, & Toletano. 11. canon. 1. & initio Concilij Florentini. Quare cum Marius Victor. libr. 1. contra Arianos; ait à ventre Filij Spiritum, non intelligit genitum, ſed de ſubſtantia intùs procedentem. Verum eſt ipſum Marium lib. 4. contra Arium ſemel & iterùm dixiſſe Spiritum Sanctum genitum, hoc eſt, procedentem. Nam vitam & intelligentiam ait genita eſſe ab eſſe, id eſt, Filium, & Spiritum Sanctum à Patre. Et Spiritum Sanctum ad finem lib. ait genitum à Patre per Chriſtum, id eſt, procedentem. Et hymno 30. ait genito genitum, ſcilicèt de genito procedentem: quæ tamen verba Marij, etſi ſint piè interpretanda: ſunt tamen etiam piè euitanda. Et Sanctus Iuſtinus libr. de recta confeſsione, ait Spiritum Sanctum à Patre oriundũ, non tamen genitiuè, ſed proceſsiuè, id eſt, non genitum, ſed procedentem.

Symbolum *S. Athan.* *Concil. Eph.* *Cõc. Tolet.* 1. *Cõc. Tol.* 11. *Conc. Flor.* *Marij Vict.* plura loca explicantur. Notandum. *S. Iuſtinus* explicatur.

## CAPVT XVII.

*Variæ opiniones referuntur, quanam ratione diſtinguatur proceſsio, & generatio.*

Prima pars. *Licet nobis rationem huius diſcriminis reddere.*
Secunda. *Patrum, & ſcholaſticorum ſententiæ de hac re proponuntur.*
Tertia. *Veræ ſententiæ expoſitiones variæ referuntur.*

### PRIMA PARS.

*Licet nobis rationem huius diſcriminis reddere.*

1. TRaditæ nobis doctrinæ, quòd proceſsio Spiritus Sancti non ſit generatio, rationes inquirunt & Doctores, & Patres. Admiratione enim digniſsimũ eſt, quòd cum vtraque perſona, Filius ſcilicèt & Spiritus Sãctus, procedat de ſubſtantia diuinæ naturæ, altera dicenda ſit gigni, altera non gigni, ſed procedere. Nam etſi Filius ſit propriè Verbum per intellectionẽ procedens, & Spiritus Sãctus non verbũ, ſed Amor per dilectionẽ ema-

Quæſitę rationis difficultas

A emanans, poſſemus exiſtimare vtrumq; eſſe verè genitum, quia vterque de diuina ſubſtantia procedit. Quapropter Abailardus apud S. Bernard. Epiſtola 190. negabat Spiritum Sanctum eſſe de ſubſtantia Patris, ne permitteret Spiritũ Sanctum eſſe Filium, vtpotè procedentẽ ſimilẽ de ſubſtãtia Patris. Quòd etſi ad ijcias, ea quæ in Deitate aduertimus eſſe diſtincta, nõ diſtingui ſolo numero; ſed etiã ratione formali, quia diſtinctio numerica ſumitur à materia, quę in Deo nõ eſt, & idcircò in Deo ſi qua diſtinctio realis eſt, ea eſt formalis. Adhùc non eſt conſequẽs, vt proceſsio Amoris in Deo nõ ſit generatio: ſicut enim generatio leonis & generatio equi nõ diſtinguuntur ſolo numero, ſed ſpecie, & formalitèr penes terminos generationis diſtinctos; ita poſſet videri generatio Verbi, & Amoris formalitèr diſtincta, non ſolo numero, penes terminos diſtinctos: ſicut etiam ponimus in Deo plures relationes diſtinctas non ſolo numero, ſed formalitèr, & quaſi ſpecie vt lib. 3. dicemus.

*S. Bernard.* de Abailardi hęreſi.

Diſtinctio in diuinis non ſolùm numerica ſed formalis, nõ eleuat difficultatem.

Oſtenditur ex emplo.

2. Neceſſe eſt ergo rationem indagari difficillimam captu, qua proceſsionem Sp. Sancti à generatione ſeiũgamus de hac re S. Th. in 1.d. 13.art.3.& d. 18.q. 1.art.2.& 4.cõtra gent.cap.23.& de potent.q.10.art.2. Sed cum tam ſit difficilis propoſita quæſtio, non immeritò nonnulli crediderunt non poſſe eam in vita hac mortali expediri. Hoc autem cõfirmant Patrum ſentẽtijs S. Athanaſ. Epiſtol. 2. de Spiritu Sancto ad Serapionem. Item S. Auguſtinus lib. 3. contra Maxim. cap.13.& 14. ſic ait, *inter generationem Verbi, & proceſsionem Spiritus Sancti diſtinguere neſcio, non valeo, non ſufficio.* Et in lib. quinquaginta homiliarum ſerm.36. idem docet. Et S. Ambroſ. lib.4. de fide cap.5. tomo 4. *impoſsibile eſt generationis ſcire ſecretum, mens refugit, &c.* S. quoque Naziãz. oratione 5. Theolog. ait inſaniẽtis eſſe hoc velle inueſtigare diſcrimen. Et S. Ioan. Damaſcen. libr. 1. de fidei orthodox. cap. 2. & 10. docet hanc veritatem in vita præſenti inexplicabilem eſſe, & S. Clemens Epiſtol. ad Iacobum fratrem Domini. *Non quæratur, inquit, quomodò genuit Filium, quod & Angeli neſciunt*, ſcilicèt naturali ſcientia angelis ignotum eſt; Idem docet S. Cyrillus libr. 5. in Ioan. capit. 2. & S. Ioan. Chryſoſtom. homil. 1. de incomprehẽſibili Dei natura, & S. Athanaſ. Epiſtol. ad Serapionem dicit imperſcrutabilem eam quæſtionem eſſe, & S. Anaſtaſ. libr. 1. de rectis fidei dogmatis ait tutum nõ eſſe de his quærere. Et videntur Patres ita communitèr ſentire. Quod etiã maximè agunt dum explicant locum Iſaiæ cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit.?* de generatione Verbi diuini. Ita interpretatur S. Clemẽs Põtifex Epiſtola ad Iacobum fratrem Domini, S. Irenæus contra hæreſes lib.2.cap.28. S. Iuſtin. in Dialogo contra Triphonem, & in reſponſione 67. ad Orthodoxum, S. Hieronymus in 1. cap. Matth. Phæbadius etiam libr. contra Arianos, vbi ſic loquitur. *Quis poſsit ſecundum naturam enarrare natiuitatem quæ contra naturam eſt?* intelligit quæ eſt diuerſa à natura creata: Similitèr Gregor Bęticus de diuina generatione exponit hũc locum lib. ſuo de Trinitat. & plures alij. Ergo iuxta hoc oraculum nefas eſt vt quis cogitet rationem ſe afferre poſſe euidentem, qua generationem à proceſſione Sp. Sancti diſtinguat. Verum eſt tamen quòd hic locus Iſaiæ rectè quoq; explicatur de ſæculo, quo Chriſtus Dominus in Iudæa verſatus eſt, quod fuit moribus peſsimum, quaſi dicat, Sæculũ eius quis enarrabit? Et hoc ipſum eo loco videtur Iſaias ſignificare. Imò de generatione quoque Chriſti humana poteſt explicari, eò quòd ex illibata Virgine natus ſit, quaſi hoc ſit miraculũ quod enarrari non poſsit, vt commentantur Tertullianus & S. Iuſtinus pagina 54. contra Iudæos.

*S. Thom.*

Quorũdã opinio quæſitã rationem in hac vita inuẽtu impoſsibilẽ.

Citãtur pro ea Patres,

*S. Athanaſ.* *S. Auguſt.* *S. Ambroſ.* *Nazianz.* *Damaſcen.* *S. Clemens* explicatur *S. Cyrillus.*

*S. Chryſoſt.* *S. Athanaſ.* *S. Anaſtaſ.*

*Iſaiæ 53.* Hunc locum de generatione Verbi diuini interpretantur *S. Clemens.* *S. Irenæus.* *S. Iuſtinus.* *S. Hieron.* *Phæbadius* explicatus.

*Greg. Bætic.*

2. interpretat.

Tertia.

*Tertullian.* *S. Iuſtinus.*

3. Arbitror tamen Theologi eſſe, vt rationem huius diſtinctionis excogitet; eandemque ita poſſe euidentem certãq; afferri; vt data hypotheſi quòd hoc modo credamus procedere Verbum, & illo modo Spiritum Sanctum, perſpicuum ſit modum procedendi nõ eſſe eundem. Neque hoc quod aimus, Patres negant: ſed alitèr explicandi ſunt; tum quòd moderatè de ſe ſentiant: tum quòd velint indicare ipſum modũ proceſsionis non poſſe euidentèr explicari; quod nos nõ minùs fatemur. Sed tamẽ cõceſsis principijs quòd hoc modo Verbum, illo modo Amor procedat, nihil prohibet oſtẽdere quòd hæc proceſsio ſit generatio, illa non ſit. Hortatur autem nos ad rationis

Concluſio. cõceſſo hoc illo & modo vtriuſque proceſſionis, dicti diſcriminis ratio euidens ac certa reddi poteſt.

Patres explicantur 1.

Secundò.

*Pro concluſ. S. Hilar.* tionis inquiſitionem S. Hilarius lib. 12. de Trinitate, dum ait veritatem non eſſe nudam rationis. Et hoc quod agunt Patres dum rationem huius diſcriminis inueſtigant, ſatis perſuadet conari illos, ſi poſsint, vt euidentem rationem reddant. *Patrum conatus.*

## SECVNDA PARS.

### *Patrum & ſcholaſticorum ſententiæ de hac re proponuntur.*

1. *Prima ratio. S. Athanaſij. Spiritum Sanctum non eſſe genitũ probat ab incommodo ſequente.*

IGitur vt ad rem veniamus S. Athanaſius Epiſtola de Spiritu Sancto ad Serapionem ex eo ait, Spiritum Sanctũ conuinci non eſſe Filiũ, quia nihil in Deo eſt diuiſum, quaſi ſit pars, & pars in Deo. Nam etſi Filius communicet totam naturam Spiritui Sancto, ſicut accipit totam; alia tamen ratione (ſi rectè conijcimus mentem Sancti Athanaſij) diuiſus eſſet generando alium filiũ, quia duo filij non diſcreti proprietate filiationis, naturâ ipſâ diſcreti eſſẽt, & vterque diuiſus, vt S. Thomas etiam philoſophatur. *Duo Filij non diſcreti proprietate, naturâ ipſâ diuiſi eſſent.* Sed etſi Sãctus Athanaſ. probè conuincat proceſsionem Spritus Sãcti non eſſe generationem, ne duos filios diuidamus in partes; non tamen indicat rationem aliquã diſcriminis inter generationẽ Filij, & proceſsionem Spiritus Sancti. In eadem ferè ſententia eſt S. Baſilius lib. 5. contra Eunomium cap. 12. nos enim ait negare Spiritum Sanctũ genitum, ne filium filij confiteamur, & inducamus infinitos filios. *S. Baſilij ratio ferè eadẽ.* Hoc enim incommodum reſpondendi conuincit non eſſe filios duos; aliàs & infiniti eſſent ex infinita eſſentia: ſed proceſsiones ipſas generandi, & ſpirandi non diſcernit. S. Bernardus Epiſtol. 190. ſcitè reſpondet Abailardo, nullam eſſe conſequentiam, quia Spiritus Sanctus procedit de Patris ſubſtantia, Spiritum Sãctum eſſe Filium; nam & vermes ſunt de ſubſtantia animantis, & non ſunt filij. *S. Bernardi ad Abailardum reſponſio.* Sed ſi addas argumentationi Abailardi Spiritum Sanctum procedere de ſubſtantia Patris, & ſimilem in natura: non habemus ſolutionem ex doctrina S. Bernardi. *Vrgetur.* Ex Theologis verò non abſimilẽ rationem reſpodendi ineunt Ioannes Scotus d. 3. quæſt. vnica, & Ægid. d. eadem art. 2. Ille enim ait has proceſsiones diſcerni ſe ipſis, quia ſunt primò diuerſæ; iſte eas diſtingui ex terminis. Ni- *Scotus, Ægidius afferunt diſcrimen:*

A hil nos hoc loco inficiamur, ſed neceſſe fuit oſtendere qua definitionis particulâ excludatur proceſsio Spiritus Sancti à generatione Verbi: quòd ſi vna à definitione alterius nõ excluditur, eæ proceſsiones, neq; ſunt primò diuerſæ, neq; ex terminis diſtinguendæ, ſed vtraque erit dicenda generatio. *Ratione nullã indicant inquirendam.*

S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 26. & 27. cũ ſuo Anſelmo Monolog. cap. 52. rationem affert alijs Patribus communem: Quoniã generatio, quæ eſt à duobus eſt à mari, & fœmina ſimul, cum ergo B diuina generatio nõ ſit carnalis, neq; materialis, in qua patrem, & matrem agnoſcamus, non potuit Spiritus Sanctus procedere à Patre, & Filio, quaſi proles ab vtroque genita. 2. *Secunda ratio S. Auguſt. S. Anſelm. quia generatio à duobus eſt carnalis.* Eandem ſentẽtiam videtur ſequi S. Epiphan. in Ancor. Et in Panario Hæreſi 74. S. Baſilius in Epiſtola ad Amphilocum, & Theodoret. lib. 1. Polimorphum. D. etiam Paſchaſius lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. vltimo. Et hac ratione contentus eſt Petrus Aliac. in 1. q. 8. & Magiſter in 1. d. 13. S. Auguſtinũ ſequutus. 5. *Eadem eſt S. Epiphan. S. Baſil. Theodoret. D. Paſchaſ.* Credimus autem, C Patres, in re maximè obſcura, id quod eſt vel ſẽſui obiectum voluiſſe obſeruare; vt aliquam rationem perſpicuam fidelibus proponerẽt, qua has proceſsiones diſcernerent. *Hæc ratio à ſanctis ob perſpecuitatẽ fidelibus propoſita.* Quia ſcilicèt generatio à duobus eſt carnalis: ideo Spiritus Sanctus qui procedit à duobus nõ debuit generari, ſed alio diuino modo procedere.

S. Thomas de potentia q. 10. art. 2. ad 11. doctrinam hanc alitèr tuetur, quia naturæ operatio eſt vnius ad vnũ, ſcilicèt vnius principij actiui per ſe concurrentis; matrem verò ait eſſe principium paſsiuum; Cum ergo generatio ſit per modũ naturæ, non poteſt eſſe à duobus agentibus per ſe. At verò Spiritus Sanctus eſt per ſe à duobus: ergo non D procedit per modum naturæ vt natus. 3. *3. Ratio S. Thom. quia generatio, cum ſit naturę operatio, eſt ab vno agẽte per ſe ad vnum; nõ verò à duobus.*

Non longè diſcrepat Durandus ab hac explanandi ratione in 1. d. 26. q. 2. vbi docet Spiritum Sanctum non procedere per modum naturæ, quia procedit à duobus: naturæ enim operatio eſt ab vno, ſi illud ſit ſufficiens principium; à duobus autem eſt operatio voluntaria. 4. *Durandi ratio non longè diſcrepans.* Hæc autem omnia implicata ſunt: nam licèt operatio naturalis ſit ab vno principio actiuo: Pater, & Filius non ſunt *Refellitur 1. Ab vno principio formali procedit Spir. Sanctus.*

duo

duo principia, ſed vnum; ergo ab vno procedit Spiritus Sanctus per modũ naturę, & eſt genitus. Quòd ſi principiũ formale eſt vnum, per accidens eſt, quòd ſuppoſita producentia ſint duo: nam ſi Deitas eſſet naturale principium rerum, tria ſuppoſita naturalitèr operarentur.

Refellitur 2. Præterea ſi de ſuppoſitis agẽdũ ſit, Spiritus Sanctus non eſſet à duobus idem qui eſt, proprietate hypoſthatica mutata, vt dicemus: non ergo eſt à ſingulis, ſicut à duobus. Quòd etſi eſſet ab vno ſolo adhùc non eſſet genitus, ſed ſpiritus: ergo numerus ſuppoſitorum nõ facit hoc diſcrimen, quod eſt palmarium argumentum.

(Si Sp. Sãctus eſſet ab vno ſolo adhuc eſſet ſpiratus.)

Refellitur 3. Mutua dilectio Patris & Filij eſt naturalis. Poſtremò, etſi hæ duæ perſonæ voluntate ſpirẽt & mutua dilectione duorum, non voluntate conſentiente ſpirãt quaſi liberè, ſed naturali operatione voluntatis; ergo neq; ex hac parte proceſſio Spiritus Sancti à generatione excluditur, ſiquidèm eſt naturalis.

5. 4. Ratio *Alenſis*. Aliam explicationem quęſtionis Alexand. Alenſ. videtur omninò inueniſſe. Ait enim in 1. p. q. 42. memb. 2. art. 1. & 2. proceſsionem Filij eſſe per modum principalem; quia dum procedit accipit poteſtatem producendi aliam perſonã: at verò proceſsionem Spiritus Sancti non eſſe per modum principalem; quia dum procedit non accipit eam poteſtatem producẽdi aliam diuinam perſonã. Per hæc verò Alexander aſsignat quidèm diſcrimen aliquod inter proceſsionem vtranque, ſed minimè oſtendit ipſam proceſsionem Spiritus Sancti per modũ minùs principalis, non eſſe quoq; generationem.

(Reijcitur.)

5 Ratio. & ex eodem. *Richard.* At verò idem Alenſis 1. p. q. 42. memb. 2. cum Richardo 6. de Trinitate cap. 11. & 21. ait Filium procedere vt ſimilem Patri non ſolùm naturâ, ſed aliqua proprietate, quia & ipſe ſimul cum Patre producit Spiritum Sanctum. Spiritum verò Sanctum non procedere ſimilem, quia nullam aliam perſonam producit.

Improbatur vt futilis. Quæ reſponſio valdè futilis eſt; nam in natura ſpectatur ſimilitudo generationis; procedit enim genitum in ſubſtantia eadem, ſiue eiuſdem ſpeciei; ergo etſi Spiritus Sanctus nõ ſit cætera ſimilis, hoc tamen ſatis eſt vt ſit genitus, quia procedit ſimilis in eſſentia. Sed neque ſpectatur ſimilitudo perſonarum (vt libr. 3. dicemus) in aliqua proprietate relatiua aut origine, qualis eſt operatio actiua.

(In natura ſpectatur ſimilitudo generationis.)

A

6. 6. Ratio *S. Bonauent.* S. Bonauent. in 1. d. 13. q. 2. ait Verbum procedere per modum naturæ, Spiritum Sanctum per modum voluntatis. Et hoc quidèm verum eſt: ſed adhùc ſupereſt exponẽdum? quare proceſsio per modum voluntatis naturalis non ſit generatio, quod tamen capite ſequenti ita explicabimus, vt oſtendamus ſatis eſſe diſcrimen hoc inter vtrãque proceſsionem.

(Indiget adhuc alia ſuperaddenda.)

Eadem eſt *S. Auguſt.* Videtur autem non abhorrere ab hac ratione explicandi S. Auguſt. 5. de Trinitate c. 14. vbi ait quòd Filius procedit vt natus, Spiritus Sanctus vt datus.

B

Nam & hoc ſi probè exponatur, quæſtionem explicat, vt docebimus. Et eodem modo explicat S. Thomas 4. cõtra gent. cap. 23. & de potentia q. 10. art. 11. Ægid. Rom. diſt. 13. cum Richard. & alijs.

(*S. Thom.* *Ægid.* *Richard.*)

7. *Idem.* Richardus lib. 6. de Trinitate capit. 6. ſic inquit, *communio maieſtatis fuit vt ſic dicam cauſa originis vnius, ſcilicèt Filij; communio amoris fuit cauſa originis alterius, ſcilicèt Spiritus Sancti.*

Explicatur. Vbi cauſã pro principio vſurpat. Videtur autem nomine maieſtatis intelligere naturam diuinam, vt prima origo referatur ad naturam, ſecunda ad dilectionem.

C

Interpretatio ſextæ rationis. Sed cauendum eſt ne putemus proceſsionem Spiritus Sancti non eſſe de natura diuina, aut per illam non communicari naturam diuinam: ſed poſſumus interpretari non eſſe per modum naturæ.

8. 7. Ratio. Sunt etiam qui aiunt generationem eſſe eam, quæ non neceſſariò ſit ab alio procedente, neque aliam conſequatur originem; neque enim neceſſe eſt, vt genitus procedat à genito, vel vt ante generationem alia naturalis generatio, aut operatio antecedat. Quia ergo Spiritus Sanctus neceſſariò procedit à Filio genito, neceſſarióque cõſequitur ad eius generationem; eò quòd procedit per voluntatem, Filius verò per intellectum; operatio autem voluntatis cõſequitur operationem intellectus: ideo, inquiunt, quia hæc proceſsio Spiritus Sancti ex propria ratione conſequitur aliam, non eſt generatio, ſed proceſsio diſtincta.

D

*S. Thom.* Hæc ratio impugnatur. Hæc quoque ratio affertur à S. Thom. de potentia loco iam dicto, & ſolutione ad 7. quæ tamen nõ tota difficultate nos liberat. Neque enim expẽditur ibi diſcrimen inter vtranque proceſsionem penes intima, ſed penes coniuncta.

iuncta. Eſto enim Spiritus Sanctus, eò A quòd procedit per voluntatem, conſequatur priorem originem Verbi; quid prohibet ipſum quoque gigni, ſiquidèm eſt viuens ex viuēte in ſimili natura productus? Idem S. Doctor. in 1. d. 14. q. 1. art. 3. ad 3. videtur indicare aliam rationem diſcriminis, quòd generatio ex propria ratione formali eſt communicatio naturæ; proceſsio autem amoris eſt communicatio voluntatis. Sed ſtatim in eundem lapidem impingimus; ſicut enim amoris proceſsio eſt communicatio volūtatis, ita verbi proceſsio eſt cōmunicatio intellectus: per vtramq; enim B proceſsionem communicatur tota Deitas: vel ergo vtraque eſt generatio, vel neutra. Deinde per proceſsionem amoris nō minus communicatur diuina natura, quàm per proceſsionem intellectus: ergo eſt generatio.

8. ratio eiuſdem.

Similitèr impugnatur 1

Secundò.

## TERTIA PARS.

### *Veræ ſententiæ expoſitiones variæ referuntur.*

1. Vera ratio *S. Auguſt. S. Anſelm. S. Thom.*

EST ergo alia huius quæſtionis explicatio optimè excogitata à S. Auguſtino 15. de Trinitate cap. vltimo & S. Anſelm. Monolog. cap. 53. quam S. Thomas amplificauit, eaque vtitur 1. p. q. 27. art. 1. & 4. contra gent. cap. 11. 19, & 23. Quod enim procedit per intellectum, pertinet ad ſimilitudinem, atq; adeo ad generationē; generatio enim eſt ſimilis. Quod verò procedit per voluntatem non pertinet ad ſimilitudinem, ideoque à generatione longe diſtat. Ad hoc fortè alludit S. Gregor. Nazianz. oratione 5. Theologa, Spiritum Sanctū non eſſe genitum, idcircò dicens, quia D non producitur per manifeſtationem; manifeſtatio enim ad lucem pertinet intelligibilē iuxta illud Pauli ad Epheſ. 5. *Omne quod manifeſtat, lumen eſt.* Cōſentit Ioan. Scot. in 1. d. 10. q. vnica ad 1. & Henricus Gandau. in ſumma art. 60. quæſt. 1.

Quod procedit per voluntatem, nō pertinet ad ſimilitudinem. *Nazianz.*

*Ad Epheſ.*

*Scotus. Gandau.*

2. Obiectio.

Hoc ergo propoſito diſcrimine, iterùm Doctores implicantur quæſtione eadem; tum quia amor quoque procedit ſimilis voluntati, vt capite ſequenti diſputabitur; tum etiam quia ſaltem Spiritus Sanctus videtur procedere quoq; vt ſimilis; ſiquidèm procedit vt Deus in vnitate eiuſdem naturæ; vnitas autem fundamentum eſt ſimilitudinis.

Thomas ergo Caiet. vt hunc nodum ſoluat q. 35. art. 2. obſeruat ea quæ ſunt communia cōtrahi ad ſpecies rerū ſiue ad ſua particularia, vel per differentias eſſentiales, vel per extrinſecas & cōiunctas, vt color eſſentialitèr diuiditur in candorem, & nigrorem, ſcilicèt per eſſētiales differentias: accidētalitèr autem diuiditur in colorem naturalem, & aduentitium; quia quòd color ſit inſitus à natura, aut adueniens naturæ, non pertinet ad coloris eſſentiam, & propriam rationem formalem. Ita etiam amor, vt amor eſt, alius eſt amicitiæ, alius concupiſcentiæ: quòd autem amor ſit humanus vel angelicus, non videtur pertinere ad rationem formalem amoris, ſed eſt quid cōiunctum, vt amor inueniatur in homine, aut in angelo. At verò diuinus Amor, qui eſt Spiritus Sāctus, ſi cōſideretur, vt eſt terminus diuinæ dilectionis, quæ eſt propria ratio amoris, nō affert ſimilitudinem, ſed impetum in rem amatam. Si verò conſideretur vt eſt in Deo, & vt eſt Deus ipſe ex vnitate naturę, inuenitur ibi ſimilitudo non quaſi C ex proprijs, ſed quaſi ex coniunctis. Hoc autem nō ſatis eſt vt ſit generatio, niſi ex proprijs illius proceſsionis afferatur ſimilitudo. Et hæc quidem ſolutio videtur eſſe accepta à S. Thom. in 1. d. 13. q. 1. art. 3. ad 3. docet enim proceſſionem amoris non communicare naturā; niſi quatenus amor eſt diuinus; quod quidèm veriſsimum eſt: nam creatus amor, cum ſit accidens, non communicat naturam. Sed non dixit S. Thom. idcircò proceſsionem amoris non eſſe generationem, vt Caietanus vult. Et eodem modo accipiendum eſt quod ait S. Doctor 1. p. Spiritum Sāctum ex eo eſſe ſimilem quia eſt in natura eadem; quę verba poſteà declarabimus.

3. 1. ſolutio *Caiet.*

*S. Thomæ* locus pro *Caietano*

Explicatur.

Alius locus ſimilis.

Hæc explicatio Caietani minimè placet propter duo. Primum eſt, quia in rebus diuinis hoc quod eſt eſſe diuinum, non poteſt conſiderari vt coniunctum, ſed vt maximè proprium. Hoc itē quod eſt eſſe infinitum, eſt maximè proprium cuiuſque rei diuinæ: ergo amor etiam vt eſt terminus dilectionis ex propria ratione eſt infinitus, & eſt res diuina. Ex quo antecedente probatur quòd amor vt ſic, procedat vt ſimilis, & Caietanus non

4. *Caiet.* Refutatur 1.

Amor diuinus etiam vt terminus dilectionis, eſt De⁹, & infinitus, ex proprijs.

Refutatur 2. Itẽ ex propria ratione eſt ipſa res diligibilis, & cum ea infinitè vna.

non ſoluit argumentum. Alterum eſt, quoniam Amor diuinus, vt terminus di lectionis, eſt ipſa res diligibilis, vt ſupra docuimus ex ſententia S. Thomæ; & eſt vnio quædam infinitam afferens vnitatem; in vnitate autem fundatur ſimilitudo: eſt ergo amor ex propria ratione ſimili ſimilis: & argumentum, quod Caietanus credidit ſe refutare, adhùc cõſtat, ſoluendumque eſt. Qua etiam in re fallitur Franciſ. Ferrar. 4. contra gent. cap. 11. concluſione 11. dicens Verbũ diuinum ex propria ratione eſſe ipſum intelligibile, atque adeo ſimile; Amorẽ autem diuinum ex propria ratione non eſſe ipſum diligibile, atque adeo neq; vt ſic ſimile. Cũ potiùs dicendum ſit Amorem diuinum ex propria ratione formali eſſe ipſam rem diligibilem, vt nos doctiſsimè S. Thomas docuit. Minùs autem probè hunc amorẽ Franciſ. à Chriſto in 1. ſentent. d. 6. q. 3. vocat materialiter diuinum; in rebus enim diuinis non ſolùm nõ eſt materia, ſed nihil quaſi materia conſideratur. Et ſimilitèr refutatur quod alij docent & in idem recidit, proceſsionem Spiritus Sancti afferre ſimilitudinem ex ſubiecto, ſcilicèt quia in Deo eſt. Iam enim docuimus omnem proceſsionem afferre ſimilitudinem per hoc, quòd cõmunicatur natura. Et prætereà in Deo non eſt ſubiectũ & forma, ſicut neque materia.

Similitèr fallitur, & refellitur *Ferrar.*

Falsò negat hunc amorem ex propria ratione eſſe ipſũ diligibile.

*Fr. à Chriſto* non probè vocat illum materialiter diuinũ

Sic alij dicunt ſimilẽ ex ſubiecto.

5\. *Rada controuerſ.* 24. ſimiliter etiã refellitur 1.

5\. In eundem lapidem impingunt, qui aiunt ſimilitudinem amoris cum voluntate non eſſe vniuocam ex propria ratione, ſed in Deo aliunde eſſe vniuocam, quia Amor qui in Deo eſt, Deus eſt, & idcircò ſimilis; quaſi ſimilitudo hæc accidat diuino Amori. Hoc autem eſt falſũ: tum quia iam anteà commonſtrauimus cum S. Thoma diuinum Amorẽ ex propria ratione formali, vt eſt terminus dilectionis, eſſe Deum verũ, quæ eſt maximè vniuoca ſimilitudo; procedit enim diuinus Amor ex propria ratione, vt Deus de Deo: tum etiã quia diuina proceſsio ex propria ratione terminatur in Deũ, vt hoc lib. docebimus; quare ex propria ratione diuinę proceſsionis id quod procedit, habet vniuocam ſimilitudinẽ cum ſuo principio. Neque hoc poteſt de Spiritu Sãcto ſine errore negari; nam Spiritus Sanctus nihil habet, quod non habeat ex vi proceſsionis, & ex propria ratione ſuæ proceſsionis: quod ergo ſit

Similitudo vniuoca huius Amoris cum voluntate nõ accidit quaſi extranea eius proceſsioni.

Hic Amor ex propria ratione procedit vt Deus de Deo.

Refellitur 2. Proceſsio diuina ex propria ratione terminatur in Deum

A ſimilis in vnitate naturæ cum Patre, & Filio, inde habet quia procedit. Et confirmatur, quia proceſsio quæuis ex intima ratione affert ſimilitudinem aliquã; ſed proceſsio Spritus Sancti (vt ait) ex intima ratione non affert ſimilitudinem vniuocam: ergo affert æquiuocam ſimilitudinem, & deficientem, quod eſt hæreticum; ergo ſimilitudo vniuoca nõ accidit quaſi extranea proceſsioni Spiritus Sancti, ſed neceſſariò pertinet ad illam, vt conſideratur ex propria ratione talis proceſsionis diuinæ. Quod capite B ſequenti meliùs expendetur.

Confirmatur. Proceſsio quæuis ex intima ratione affert ſimilitudinem aliquam.

6\. 2. Solutio *Torres.*

6\. Bartholomęus Torres ſuper quæſt. 27. S. Thom. art. 2. parte 4. comment. quem alij ſequuntur, concedit tàm Filium, quàm Spiritum Sanctum procedere vt ſimilem; ſed tamen ſimilitudinem in Filio à natura expeti & intendi, vt Patrem repræſentet, & hoc eſſe proprium imaginis: ideoque Filius non ſolùm eſt ſimilis, ſed imago; quod de Spiritu Sancto non dicimus.

7\. Confutatur 1. Si Sp. Sanctus procederet vt ſimilis, generaretur.

7\. Hęc tamen expoſitio pluribus ex partibus falſa eſt. Primò, in eo quòd conce- C dunt Spiritum Sanctum procedere vt ſimilem; fit enim conſequens vt generetur; ad generationem enim viuẽtis ſufficit ſimilitudo ex proceſsione orta, quę cunque illa ſit, vt ex definitione cõſtabit. Igitur ſi ſimile quodpiam & imago ſolùm differunt fine, quia ſimile non producitur ad repræſentandum, ſicut imago: in Deo in quo non inuenitur finis, id quod procedit vt ſimile, nihilo differt ab imagine. Deinde neque in rebus humanis Pater optat ſibi Filium naſci vt ſe repræſentet, ſed vt ſit quaſi ſui particula, ipſius ſubſtantiæ particeps; repræſentare enim eſt quædam relatio, imò eſt relatio rationis vt explicabimus: relationes autem non per ſe expetuntur. Quamobrem S. Thomas d. 28. q. 2. art. 3. ad 4. ſcitè negat Spiritum Sanctum D procedere vt ſimilem. Adhùc, in diuinis rebus nihil optatur à Deo quaſi finis per operationem expetitus; ratio enim finis eſt ratio cauſæ, & finem per media conſequimur: abſit autem vt in operatione diuina interna inueniamus mediũ ad finem; non ergo Pater Filium generat vt ſe repræſentet. Et hoc teſtatur S. Thomas 1. p. q. 39. art. 8. quòd ſcilicèt perſonæ diuinæ non procedunt vt ad finem, Et idem repetit q. 41. art. 2. ad 5.

Item eſſet imago.

Confutatur 2.

Relationes, pręſertim rationis vt repræſẽtare, non per ſe expetuntur. *S. Thom.*

*Idem.*

Et

Perſonæ diuinæ non ſunt ad finem. Nō tamen perſonarum pluralitas vana eſt. Vanum quid?

Et idem aſſerit in 1.d.2.q.1.art.4.ad 3. A docens pluralitatem ſuppoſitorum diuinorum non eſſe propter finem aliquem: nec tamen ideo eam pluralitatem eſſe vanam; vanum enim eſſe id quod finem non conſequitur ad quem dirigitur; diuina autem ſuppoſita nō ſunt ad finem.

Confutatur 3.

Si Sp.Sanctus ex ſua proceſſione eſſet ſimilis, repræſentaret.

Adhùc verò argumentum non ſoluitur, quod enim eſt viuens ſimile ex proceſſione, ſuâpte naturâ repræſentat principium à quo procedit; ergo & Spiritus Sanctus, ſi ſit proceſsione ſimilis, refert repræſentatque Patrem.

8. Confutatur 4. ex abſurdo.

Denique abſurdiſsimum eſt in ijs, in B quibus poteſt inueniri intentio finis, dicere quòd Deus operetur præter intentionem finis; ergo modo eodem quo Filius procedit vt repręſentãs, ſi id eſſet ex intentione Patris, ex eadē quoq; Sp. Sãctus procederert, vt repræſentãs, ſicut procedit Filius. Verū eſt tamen id quod Bartholomæus Torres obſeruat, Verbum diuinum procedere vt ſimile, non vtcunque, ſed vt imaginem; in quo maximè accedit ad ſolutionem quæſtionis.

*Torres* obſeruatio maximè accedens ad ſolutionem quæſtionis.

9. Eadem ſolutio explicata, & propugnata *à Vaſq. diſp. 113. cap. 8.*

Sunt tamen qui tueantur opinionem iſtam, intrepretando finem naturæ ipsū modum naturalē operandi, quo aliquid producitur aptum repræſentare; quo pacto Verbum diuinum producitur ad repręſentandum. At verò Spiritum San- C ctum non eſſe aptum repræſentare, quia repræſentare dicitur id quod eſt præſens potentiæ cognoſcenti, non appetenti. Quamobrem ſicut Pater intelligit in Verbo, non verò in Spiritu Sancto, quem producit non intelligendo, ſed diligendo; ita neque Spiritus Sanctus repræſentat Patri, à quo per dilectionem procedit. Sed hæc quoq; defenſio inutilis eſt & falſa; nam cum omni viuenti quod procedit ſimile, inſitum ſit repræſentare, etſi non ſit verbū, quod eſt in facultate intelligente; nihil obſtat Spiritum Sanctum repræſentare, etiamſi non oriatur ab intelligente potentia, D ſed ab appetente in qua eſt: neque enim ſola intellectione producitur imago repræſentans; ergo etiam ſpiratione, quæ eſt operatio viuentis, poterit produci imago, & repræſētatiuū, & Filius. Quòd ſi dicant repræſentatiuum in Deitatis natura, non poſſe produci, niſi per intellectionem: huius aſſertę ſententiæ rationem inquirimus; cum in rebus creatis non ſola intellectio producat repręſentatiuum.

Refutatur 1.

In rebus creatis non ſola intellectione producitur imago repræſentans.

In Deo oppoſita aſſertio vera Sed ratio inquiritur.

A Quòd enim ſit repræſentatiuū diuinum, aut non diuinum, non diſcriminat has proceſsiones, vt contra Thomam Caietan. & Franciſ. Ferrar. diſputant Theologi. Præterea falsò exiſtimãt imaginem non eſſe repręſentatiuam, niſi producatur per intellectum; repræſentare etenim non ſignificat ordinem ad producentem, ſed ad rem cognitam. Cū ergo Spiritus Sãctus ſit Patri ſimillimus, & ab eo procedat, ipſo naturali modo procedendi erit repræſentatiuum intelligenti Patri, quamuis non procedat per ipſam intellectionem Patris, ſed per di- B lectionem. Alia verò adijciunt de fundamento repræſentandi, quæ meliùs pōderabimus parte 2. capitis conſequentis.

Refutatur 2. Repræſentare non ſignificat ordinē ad producentē, ſed ad rē cognitam.

## CAPVT XVIII.

### *Indicatur diſcrimen inter Verbi generationem, & proceſsionem Spiritus Sancti.*

TAm multis opinionibus cōfutatis, non nouam cudimus quæſtionis enodationem, ſed traditam à S Thoma, & S. Auguſtino, explicandã ſuſcipimus. Caput autē diuidim' in partes quatuor.

C Prima pars. *Generationis definitio explicatur.*

Secunda. *Ratio imaginis declaratur.*

Tertia. *Amor non procedit per modum naturæ.*

Quarta. *Ratio diſcriminis traditur inter diuinam generationem, & proceſſionē.*

## PRIMA PARS.

### *Generationis definitio explicatur.*

1. Communis definitio generationis viuentium perfectæ. *S. Thom.*

OPortet autem à definitione generationis viuentium, de qua nobis ſermo eſt, inire principium. Conſtat verò definitio generationis apud omnes, D quam tradit S. Thomas 1.p.q.27.art.2. & 3.p.q.32.art. 3.& lib.4. contra gent. c.11.fuſiſsimè, & Opuſc.3.ca. 52. quòd ſit proceſsio viuētis à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ. Definimus enim hoc loco generationem non quamuis, ſed perfectam quæ eſt viuentium, qua genitum dicitur proles & filius; ea ergo eſt viuentis à viuente. Per quod reijcimus, vel ea quæ à viuente naſcuntur vitæ expertia vt capilli,

*Eſt proceſsio viuentis à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem naturę ſpecificæ.*

1. particula. excludūtur capilli.

capilli, vel ea quæ ſunt vitâ prædita, ſed oriuntur à non viuente, vt vermes à terra putrida, & apes à boue enecto. Neq; enim apes ſunt proles bouis mortui, neque capilli ſunt filij viuentis. Hebræi tamen dilatant nomen filiationis maximè ad ea omnia quę ab alijs vel alũtur, vel proteguntur, vt vocant ſagittas filias pharetræ: ſed nihilominus nomen filij viuenti genito iuxta proprietatem loquutionis attribuũt. Eſt etiam hæc proceſsio à principio agẽte, generatio enim eſt actio cuius principium eſt agens. Et eſt formalis hæc loquutio quòd ſit principium viuens, ſcilicèt quòd agens vtatur facultate viuentis dum generat. Si enim Adam ex coſta ſua Euam produceret non per potentiam generãtis, ſed quauis alia virtute, Eua non eſſet filia, neque ea proceſsio eſſet generatio viuentis. Adhùc verò eſt generatio proceſsio viuentis à principio viuente coniuncto; qua particula ſignificatur genitum & generans eandem ſubſtantiã habere communem, ita vt ſubſtantia, quæ fuit in generante illi coniuncta re ipſa, eademmet ſit poſteà in genito; ſcilicèt ſemen, quod prius erat in viuente generante, deinde in viuente genito manet ſecundum partem, manente eadem materia prima; manet enim ſemen in genito ſecundum formam mutatũ: quia conuertitur ſemen in ſubſtantiam genitam: oportet autem vt hæc cõmunicatio ſubſtantię ſecundum eandem materiam, efficiatur per ipſius viuentis, generantiſque facultatem, ita vt natiua virtute ipſius ſemen illud præparetur; aliàs non eſſet generans; quia generans neceſſariò diſponit materiam, qua diſpoſitione attingit rem genitam. Denique opus eſt vt hæc proceſsio ſit ſecundum ſimilitudinem naturæ ſpecificæ; nam ſi ex homine equus, quid aliud quàm mõſtrum, vt ait Gitmundus Epiſc. Auerſ. de Trinitate? quapropter deficiente ſimilitudine, vel genitum eſt monſtrum; vel aliquid oritur deficiẽs à ratione prolis, vt vermes qui oriuntur à viuente. Et hæc quidem perſpicua ſunt.

Hebræorum loquutio.

Non obſtat.

2. particula, principiũ viuẽs, id eſt, vtẽs virtute viuentis generatiua. Excluditur viuentis à viuẽte productio per virtutem non generatiuam.

3. particula, de coniunctione. Inter generãtem, & genitũ per ſemen, datur communicatio, ſeu coniunctio ſubſtãtiæ ſecundum eãdem materiam.

Vltima particula, de ſimilitudine.

2. Hæc definitio colligitur ex duobus locis *Ariſtotel.* 1. Locus.

Iſtam definitionem quidam colligunt ex verbis Ariſtotelis octauo Ethicorum, cap. 12. & ſeptimo Metaph. cap. octauo. Nam in Ethicis quidèm hæc ait *Maiorem id à quo aliquid eſt, cum genito habet neceſsitudinis connexionem,*

A *quàm quod factum eſt cum eo qui fecit. Proprium enim ei à quo oritur quidpiam eſt id quod ex ipſo oritur, vt dens & capillus, & quodlibet ei qui id habet.* Eſt ergo in generatione viuẽtis quędam connexio ſiue coniunctio quæ non eſt in alijs; eò quòd filius aliquid eſt propriũ patris, vt dẽs & capillus, quia ſcilicèt eſt de ſubſtantia patris productus. Et ibidem ait philoſophus fratres eſſe coniunctos, ſcilicèt in patre, propter eundem ſanguinem, à quo eſt ſemen generationis. Ex quibus colligitur, quòd hæc generatio viuentis eſt cum quadam B coniunctione propter ſemen quod à generante ſumitur. Quod autem ſit in ſimilitudinem naturæ 7. Metaph. commõſtrat, quem locum iam enarrauimus.

2. Locus.

3. *S. Damaſc.* definitio breuis.

S. Ioan. Damaſcen. breuiùs definitionem generationis perſtrinxit, 1. lib. fidei Orthodox. cap. 8. *Generatio in hoc conſiſtit, vt ex gignentis eſſentia, proles eiuſdem cum gignente ſubſtantiæ producatur.* Qua in definitione duo deſiderantur, & quòd ſit à viuente coniuncto, & quòd ſit in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ: ſed ſimilitudo indicatur ibi, C *eiuſdem cum gignente ſubſtantiæ*: coniunctio verò quæ pertinet ad communicationem conſubſtantialem eiuſdem ſubſtantiæ ſignificatur, dum dicitur, *ex gignentis eſſentia*. Vbi eſſentiam vel accipit non pro quidditate, ſed pro ſubſtãtia; & hoc modo ſemen eſt ex eſſentia gignentis; vel ſolam diuinam generationem definijt, in qua genitum non ſolùm eſt de ſubſtantia, ſed de eſſentia & quidditate gignentis. Melius ergo eodem loco definit, *Generatio eſt ex ſubſtantia gignentis proferri, quod gignitur ſecundum ſubſtantiam ſimile*, vbi ait gigni de D ſubſtantia, & ſecundum ſimilitudinem.

In eadem tegitur particula, de ſimilitudine.

Item particula de coniunctione.

Explicatur.

*Eiuſdem* alia melior definitio.

Breuiùs adhùc S. Hilarius videtur definiſſe 5. de Trinitate, *Filius ex virtute naturæ in natura eadem, natiuitate ſubſiſtit.* Eſt ergo natiuitas qua filius ex virtute naturę gignentis ſubſiſtit in natura eadem per communicationem conſubſtantialem, vt diximus, in qua ſimilitudo fundatur, & libr. 6. *Viuentis natura ex viuente natiuitas eſt*, vbi viuentis ex viuẽte natiuitatẽ eſſe affirmat. Et ſimilia ſępiùs apud Patres reperies, vt in generatione viuẽtiũ, ſeu natiuitate, & ſimilitudinẽ ſpeciei, & cõmunnicationem conſubſtãtialẽ agnoſcãt. At verò S. Th.

4. *S. Hilarij* definitio adhùc breuior. Explicatur.

*Idem.*

vtriuſq; veritatis rationem accuratè in A definitione ſignificauit, vt explicatũ eſt.

5. Sunt verò in ea definitione aliqua obſeruanda. Primum eſt circa particulam, à viuente coniuncto, quòd humor corruptus non pertinet ad ſubſtantiam viuentis, quia potiùs ille pellit animal in interitum, quàm conſeruet; ideòque ex humoribus corruptis non generatur ſoboles, ſeu filius, quia non eſt genitum de ſubſtantia viuentis, hoc eſt, de ſubſtantia qua viuens natura conſtat; ideòq; etiam vermes non ſunt filij. Et hæc docuit Ariſtoteles in Problem. ſect. 4. q. 14. Eamq; B ob cauſam ſemen corruptũ non eſt principiũ naturalis generationis, quia monſtra indè naſcitura non ſunt de ſubſtantia gignẽtis, hoc eſt, de ſemine vero præparato à gignente, vt ibidem Ariſtoteles auctor eſt. Quare vel ex hac particula poſſent ſecludi à definitione generationis vermes & monſtra; ſed explicatiùs ſecernuntur, cum dicitur, in ſimilitudinẽ naturæ ſpecificæ.

*2. particula explicatur. De viuẽte, hoc eſt, de ſubſtã tia qua viuens natura coſtat. Excluduntur generata ex humore, vel ſemine corrupto. Ariſt.*

6. Ex eadem particula definitionis colligitur, Euam non fuiſſe filiam Adami: quia etſi de coſta eius effecta ſit, non tamen id factum eſt actione naturali ipſius viuentis; quare abſque diſpenſatione legis naturalis potuerunt matrimonium contrahere, quod parenti cum filia non licet, vt S. Thom. docet 1. p. q. 92. art. 2. ad 3. & in 4 d. 10. q. vnica art. 3. ad 1. & Alexandr. Alenſ. 1. p. q. 58. membr. 4. Et hoc videtur obſeruatum à S. Gregorio Nazianzeno oratione 5. Theologiæ, vbi ait, non ſatis eſſe quòd procedat ſecundum ſubſtantiam, vt ex Phœnice Phœnix oritur abſque generatione, & ex Adamo Eua abſque generatione genita eſt, quia non operatione ipſius viuentis ſecundum virtutem inſitam fœtandi, aut gignendi.

*Eàdem particulà excludi tur generatio Euæ ex coſta Adami. S. Thom. Alenſis. Nazianz.*

7. Quod verò aliqui credunt generationem eſſe actionem immanentem, eò quòd ſit à principio coniuncto, ſanè in rebus creatis non eſt opinabile; nam etſi ſemẽ extet in gignente dũ illud preparat; in eodem tamen eſt actio tranſiens, qua ſemen præparatur; & facultates naturales, quibus ſemen conficitur, & diſponitur actione tranſeunte in ſemen ipſum operantur, vt conſtat. Imò, vt doctiores exiſtimant, ſanguis qui eſt materia ſeminis, eſt re ipſa diſtinctus à viuente, eiuſque forma ſubſtantiali; quare neceſſe eſt, vt actione tranſeunte naturalem diſpoſitionem comparet, qua ſemen efficitur. At verò ipſa generatio, ſi quid rei eſt, actio tranſiens eſt, cum ſit productio geniti.

*Contra quoſdam, Generatio eſt actio tranſiens. Oſtenditur. 1. Secundò.*

Sunt qui in quæſtionem afferant, vtrùm hæc actio ſit vitalis? quæ tamen quæſtio parui momenti eſt, ſiquidèm conſtat non eſſe immanẽtem, ſed tranſeuntem. Videtur tamen poſſe dici vitalis; non quòd maneat in ipſo principio actionis viuente, ſed quia facultate quadam vitali egreditur, vt decoctio cibi in ſtomacho, & cæteræ operationes, quæ vi naturæ viuẽtis fiunt, vitales ſunt, quamuis ſint actiones tranſeuntes. 8.

*Dici poteſt actio vitalis. Ratio.*

Similitudo autem non ſolùm requiritur in eſſentia, ſed etiam in accidentibus, quæ in gignentibus extant; vt ſi albus homo nigrum generaret, portenti loco eſſet, & quaſi monſtrum, vt docet Ariſtoteles 4. de generatione animantium cap. 3. Aduerte tamen monſtrum dici, eò quòd ſemen videatur fuiſſe aliqua ex parte corruptum. Eſt tamen verè & propriè filius ex vero ſemine genitus, & vera generatio, quam modò definimus, in qua ſpectatur ſubſtantia, & C eſſentia, non verò accidens, niſi ad perfectionem generationis. De ſimilitudine filiorum ad parentes lege Ariſtotelem Problem. 13. ſect. 4. & Auerroem comment. ibidem. Qua etiam parte generatio Chriſti Domini fuit perfectiſsima, qui maximè parentem Beatiſsimam referebat, vt autor eſt Lentulus Proconſul quadam epiſtola, & Nicephor. lib. 1. hiſtoriæ ſuæ cap. vltimo. 9.

*Similitudo etiam in accidẽtibus, requiritur ad perfectionem accidentalem generationis hic definitæ. Ariſt. Non verò ad eſſentialem. Idem. Auerroes. Generatio Chriſti perfectiſsima. Lentulus. Niceph.*

Quòd verò Ariſt. ait lib. 14. Problem. ſect. 4. ex humoribus corruptis nõ naſci prolem, etſi verum id quidem ſit; ſi tamẽ cõtẽdas gigni quoq; ex illis, nihil cõtra definita efficies; quia dicere op⁹erit eos D humores corruptos pertinere ad ſubſtãtiã animãtis, & ita de ſubſtãtia gignentis prolẽ emanare. Philoſophus verò argutè ait ex corrupto ſemine filiũ non gigni, quia ſicut in humore, vel ſemine corrupto nõ eſt intẽtio naturæ ad cõſeruandã ſpeciẽ illi⁹ animãtis, ita neq; eſt intẽtio ad gignendũ ſimile in ſpecie quod eſt filius. 10.

*Ariſtotelis ſentẽtia de generatis ex humore corrupto licèt improbetur, ſtat definitio. Vt vera, & argute approbatur.*

De mulo verò eſt ſpeciale dubium, quia videtur ſpeciem gignentis non referre, cum tamen ſit verè, & propriè filius; non ergo neceſſaria eſt ſimilitudo in ſpecie. Quæſtionem explicat Ariſt. 7. Meta- 11.

*Obiectio contra vltimam particulam. Reſponſ. ex Ariſtotel.*

Duo ſpecie differentia vnum aliquãdo ſunt generationis principiũ,quaſi ſpecies vna.

Metaph.text.28. dum enim ad generationem muli equus & aſina conueniunt, equuſque equum, aſina aſinam ſimul in ſimilitudinem naturę ſibi expetunt, huic principio generationis ſimul coniuncto, quaſi eſſet ſpecies vna, mulus efficitur ſimilis in ſpecie eadem. Itaq; eo ipſo quòd diſcedit à ſimilitudine ſpecifica equi, & aſinæ ſeparatim, maximè refert ſimilitudinem vtriuſque coniunctim; & vtrumque coniunctim eſt vnum generationis principium quaſi ſpecies vna. Docet autem ibidem Ariſtoles genus proximum equi & muli non eſſe nominatũ, quod S. Thom. ſuo commentario confirmat: quare animal non eſt genus proximum omnium animantium, vt vulgo teritur. Et hoc quidèm nobis videtur mirum; ſed arbitratur Philoſophus, etſi non ſit equus & mulus eiuſdem ſpeciei, eſſe tamen inter eos aliquam eſſentialem differentiam genericam ſpecialem à cæteris animantibus diſcernentem, quam equus aſinæ copulatus attingit, ſiquidem ad differentiam ſpecificam non valeat peruenire.

*Idem.*
Equus & mulus habent ſuum genus proximum innominatum, infra animal.
*S. Thom.*
Probatur.

12\. Quorundam reſponſio ex *Ariſtotel.* Eſt abs re.

Alij reſponſionem argumenti venantur à verbis Philoſophi 2. de anima cap. 4. vbi docet gigni animal in ſpecie ſimile, ſi generans ſit perfectum. Sed nos hìc non quærimus vtrùm gignatur perpetuò ſimile? Sed vtrùm ſit vera generatio, vbi non eſt ſpecifica ſimilitudo? Quare faciliùs etiam reſpondemus perfectam generationem definiri eam, in qua eſt ſpecifica ſimilitudo: generatione verò imperfecta gigni ſimile in genere, ſed cum quadam imitatione naturæ, vt genitum ſit ad exemplar gignẽtis, vt poſtea enarrabimus.

Reſponſio facilior.
Generatione perfecta gignitur ſimile in ſpecie: imperfectã ſimile in genere.

13\. Particula de cognitione, adijcienda communi definitioni generationis perfectæ.
*Maior.*

Neceſſarium quoque eſt vt hæc generatio inueniatur ſolùm in viuentibus cognitione præditis, quod quidèm poſuit Ioan. Maior in ſua definitione generationis in 1. d. 13. q. 1. Nam cum ſit ſimilitudo diſquiparantiæ, vt dicemus, quaſi expreſſa ab exemplari, quæ eſt ſimilitudo imaginis; exemplare autem, ſiue imaginem deducere, ad cognitionem reuocetur, neceſſe eſt vt in ijs quæ valẽt cognitione, hæc generatio inueniatur. Ideoque filius dicitur à nomine græco, φιλέω, quod amare ſignificat; cognitio enim antecedit appetitionem, appetitio autem animantibus eſt cauſa, vt ad generationem accedant. Eſtque is animãtibus innatus amor, quo filios ſuos, vt imaginẽ ſui ament, vel diligãt. Et hoc ſẽtit S. Thom. 3. p. q. 32. art. 3. vbi ait in ſẽſibilium nõ eſſe generationẽ, quia amore carent: inſenſibilia autem ſunt, quæ ſunt omnis notitię expertia. Et idem docet comment. in Paulum Epheſ. 3. lect. 4. Quare plantæ non habent filios.

Filius cur à φιλέω dictus.

*S. Thomas* ait inſenſibilium non eſſe generationẽ, quia amore carent.
*Idem.*

14\. *S. Thomæ* Obſeruatio.

Vt verò definitionem generationis in Deum aſciſcamus, obſeruat S. Thom. 1. p. quæſt. 27. art. 2. generationẽ creatam eſſe quãdam mutationem, quod in Deum non cadit; Deus quippe immutabilis eſt. Quo in loco mutationem impropriè vſurpat; nam generatio viuentium, quæ ſcilicèt non conſtat ſubiecto communi, neque eſt tranſitus ab vno in aliud, non eſt propriè mutatio, vt philoſophatur S. Thom. quęſt. 4. art. 2. & 2. contra gent. cap. 17. & 18. Eſt tamen aliquatenùs mutatio, vel quia materia eſt ſubiectum formæ corruptæ, & formæ aduenientis, licèt ipſa materia non mutetur; vel quia mutatio quædam dicitur vbicunq; de nouo res incipit eſſe, quod oportet à diuina generatione excludere: quare generatio vt eſt communis creatæ, & increatæ non eſt mutatio, ſed eſt proceſsio viuentis à viuente. Et ita quadrat definitio diuinæ generationi, quæ perfectiſsima eſt omni ex parte: cum enim Deus non ſit duntaxat viuẽs ſed ipſa vita; naturaque diuina, quæ eſt generationis principium, ita ſit coniuncta viuenti, vt viuens ſit ipſa natura; cum etiam ſit omninò vna, eademque in gignente & genito, vt non ſolùm ſint conſubſtantiales, ſed omninò eiuſdem ſubſtantię; vnde etiam neceſſe eſt, vt ſimilitudo nõ ſit ſolũ in ſpecie, ſed in natura eadem indiuidua, omnia in hoc cõſentiunt, vt infinitè perfectam generationem abſoluant.

Generatio creata eſt mutatio, nõ propriè, eſt tamẽ mutatio aliquatenùs.
*Idem.*
Oſtenditur 1.
Secundò.
Generatio cõmunis creatæ, & increatæ, nõ eſt mutatio, ſed eſt proceſsio viuentis à viuente &c.
Generatio diuina eſt infinitè perfecta.
Oſtenditur. 1.
Secundò.
Tertiò.

## SECVNDA PARS.

### *Ratio imaginis declaratur.*

1\. ID quod per generationem definitam procedit, imago eſt; quare & quæſtio de generatione cum quæſtione de imagine coniuncta eſt; operęque pretium erit de imagine ſecundo loco diſputare. Imago dicitur impropriè & propriè: illa impropriè dicitur imago, in qua eſt quædam ſimilitudo, etſi ab alio non ſit

Imago impropriè.

*S. Gregor. Thaumat.* *Magiſt.*

deducta; quo pacto S.Gregorius Thaumaturg. in confeſsione fidei Spiritum Sanctum vocauit imaginem, vt & alij Patres faciunt; quia eſt Patri Filioque ſimillimus. Imò Magiſter diſt. 28. imaginem pro exemplari accipit dum ait, diuinam eſſentiam eſſe imaginem ad quam ſumus conditi. Imago propriè eſt, quæ à ſuo exemplari deducta eſt, & expreſſa.

Imago propriè

2.

Huius conditiones. *S. Hilar. Damaſcen. S. Auguſt.*

De imagine igitur propriè dicta S. Hilarius lib. de Synodis in principio, & S. Ioan. Damaſc. oratione de imaginibus, & S. Auguſtinus 15. de Trinitate c.23. & 24. duo affirmant; & quòd ſit ſimilis rei cuius eſt imago; & quòd ſit à re eadē diſtincta. Rectè autem ipſe S. Auguſtin. libr. 83. quæſtionum quæſt. 73. & 74. his adiungit, quòd ſit deducta, & exemplata à re cuius eſt imago; ouum enim vnum ſimile eſt alteri, non imago eius, inquit S. Auguſtin. Et idem ſignificat S. Hilar. libr. de Synodis vbi ait, quòd imago eſt rei ad rem adæquata, indiſcreta, & vnita ſimilitudo, vbi ſignificatur quòd ſit exemplatio non in genere, ſed in ſpecie; ea quippe dicitur adæquata vt lib. primo docuimus. Quod etiam docet S. Thom. quarto contra gent. cap.11. & 1. p. quæſt. 35. articul. 1. ad 2. & in 1. diſt. 28. quæſt. 2. articul. 1. egregiè admonet ordinem perpetuò in imagine inueniri; eo enim quòd eſt deducta ab exemplari, prioritate naturæ ipſum exemplar antecedit imaginē; eſtque ideo ordo naturę neceſſarius in imagine.

1. Conditio eſt ſimilitudo. 2. Diſtinctio. *S. Auguſt. S. Hilar.* 3. Exemplatio in ſpecie. 4. Ordo.

3.

*S. Auguſt. S. Thom.*

S. Auguſtinus 2. de Trinitate capite primo, quem refert S. Thomas quæſt. 35. art. 1. affirmat imaginem nō dici ad ſe, hoc eſt non eſſe abſolutum; quo fit vt relatiuum ſit: & 7. de Trinitate cap. 1. *Nihil abſurdius*, inquit, *quàm imaginem ad ſe dici.* Videtur autem de imagine, ſicut de verbo, dicendum quòd ſit res abſoluta cum relatione coniuncta, vt ſtatim diſputabimus; imaginem enim depingimus, & eſt ens artefactum, vel naturâ genitum vt Filius; ad relatiua autem non eſt motus: vel certè eſt nomen æquiuocum quod modò ſignificet relationem, modò abſolutum. Quod autem in imagine relatio realis ſit, non eſt dubium. Vnde colligimus Filium Dei, ſi propriè loquendum ſit, non eſſe imaginem Deitatis, aut Spiritus Sancti; aut rerum quas repræſentat; ſed eſſe imaginē Patris à quo procedit. Confirmatur hoc verbis illis Pauli Hebr. c. 1. *Qui cū ſit ſplēdor gloriæ, & figura ſubſtātiæ ei'.* Hebraicè legitur character hypoſthaſeos, ſcilicèt perſonæ. Itaq; Filius eſt imago perſonæ Patris, relatio enim imaginis eſt ad ſolū Patrem, & hoc explicauit Paul' dū appellauit Filiū characterē ſiue imaginē hypoſthaſis, ſeu perſonæ Patris, quē ſcilicèt refert vt naturalis Filius. Et idcircò relatio imaginis in Deo eſt realis, quia eſt perſonalis; neq; id negari poteſt ſecundū fidem Catholicā. Et ita ſentit Gilbert. Geneb. lib. 1. de Trin. & Richar. de S. Vict. lib. 6. de Trinit. c. 11. & 21. & S. Anſelm. Monol. cap. 53. De qua etiā re legendus eſt S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 8. & lib. 7. cap. 4. & lib. 33. quæſtionum quæſt. 74. & S. Anaſth. libr. primo, de rectis fidei dogmatibus, appellat Filium faciem Patris, quia eſt imago illius.

Imago eſt res abſoluta cum relatione coniuncta.

Corollarium ex dictis. Propriè loquēdo Filius Dei eſt imago ſolius Patris.

*Heb. 1.*

Relatio imaginis eſt ad ſolum Patrem.

Eſt realis, vtpotè perſonalis, ſecundum fidem.

*Genebrard. Richard. S. Anſelm. S. Auguſt. S. Anaſth.*

4.

His conſtitutis enucleanda eſt recōdita ipſa ratio imaginis, neque enim palam eſt, aut apparet. Nam ſi inter producens, & productum ſimilitudo eſt propria imaginis, ignis productus ab igne erit imago illius; & omni proceſſione in eadem ſpecie producetur imago, & Filius, qui eſt imago naturali proceſsione producta; & Spiritus Sanctus imago erit & Filius. Quòd ſi ad imaginē non ſatis eſt ſimilitudo, diſtinctio, & proceſsio, iudicandum quid vltra quærimus.

Ad imaginem non ſatis eſt ſimilitudo, diſtinctio, & proceſsio.

5.

*Aſſerta Vaſq. diſp. 113. c. 8. & diſput. 15. cap. 5.*

Quidam conſtituunt rationem formalem imaginis in repręſētatione quadam, quia id quod eſt ad repræſentandum productum, imago eſt; dici autem productum ad repræſentandum tanquam propter finem; quia id quod ſuapte natura repræſentat ex intentione naturæ repræſentat. Quare filius patrem repræſentat, non homines alios; ignis autem productus non magis repræſentat ignem producentem, quàm alios ignes, cum eodem modo ſit omnibus ſimilis. Hæc autem coaptando diuinis aiunt, imaginem quidèm fundari in vnitate naturæ inter producens & productū: increatā verò nō fūdari in ea ſola vnitate, aliàs Sp. Sāctus eſſet imago & Filius: ſed ſimul fundari in perſonę iſtius proprietate; nam Filius ipſa proprietate perſonali repræſentat Patrem quia

1. aſſertum. Secundum. Ratio Vaſq. cur homo genit' repræſētet potiùs, quā ignis genitus. Tertium. Quartum.

A quia procedit per intellectum; quem Spiritus Sanctus nõ repręſentat, etſi ſit productus in vnitate naturæ; quia vltra hoc neceſſaria eſt proprietas perſonæ repræſentantis. Hoc autem de Spiritu Sancto commonſtrat, quia neque Patri, neque Filio repræſentat, cum illi nõ intelligant Spiritu Sãcto.

Quintum.

His addunt Filium non eſſe imaginem Spiritus Sancti, quia etſi ſecundariò illum repræſentat, non procedit ab illo, vt à principio intelligibili; idque aiunt S. Bonauent. notauiſſe, quòd dixerit Filium quatenus imago eſt, ad Spiritum Sanctum connotare relationem.

B

6. Notandum.

Hæc verò omnia ſingulaque aſſerta videntur perſpicuè confutari, & abs re eſſe philoſophica. Nec mirum nos ſemel à veritate digreſſos, longiorem progrediendo errorem facere. Cauſa autem errandi eſt vna quod non penetrent rationem propriam imaginis, quam conſequitur repræſentatio. Et in eò quod eſt poſterius, non inuenerunt diſcrimen inter imaginem, & ſimile quod imago non eſt.

Contra primũ aſſertum.

Ratio quippe imaginis ſita eſt in quadam ſimilitudine propter exemplatione vnius ab alio, vt poſtea elucidabimus.

Repræſentatio non eſt finis naturæ producentis.

Primũ igitur falſum eſt, quòd repræſentatio ſit finis naturæ; repræſẽtatio enim ſiue aptitudo ad repræſentãdum eſt relatio rationis, vt hoc libr. docemus: relatio autem rationis non eſt finis naturæ, quod eſt ens reale; ſed fortè conſequitur finem naturalem obtentum; natura enim producit ſimile, & ibi ſiſtit: conſequitur autem ſolo intelligẽdi modo, repræſentatio, quæ eſt relatio rationis. In diuinis autem proceſsione finis nullus, quia finis eſt cauſa: quare ſimile ab imagine nõ diſcernitur in Deo propter finem repræſentandi, vt antea diſputauimus.

7. Contra ſecũdũ

Secundò loco, hominis geniti nõ eſt maior ſimilitudo cum homine generante, quàm ignis geniti cum igne gignẽte; neque minor ſimilitudo geniti hominis cum alijs hominibus, quàm geniti ignis cum alijs ignibus: quare nõ ob eam rationem homo genitus repræſentat potiùs, quàm ignis genitus; ſed propter exemplationem, quam conſequitur repræſentatio naturalis, hoc eſt ex intentione naturæ exemplantis: repræſentatio enim non ſequitur quodcunque ſimile, ſed exemplatum.

Vera ratio ſupraſpoſiti quęſiti.

Repręſentatio ſequitur ſimile non quodcunque, ſed exemplatum.

8. Contra tertiũ

Imago ſeu relatio imaginis non fundatur in vnitatę naturæ.

Tertiò loco, non probè fundant imaginẽ, ſiue relationẽ imaginis in vnitate naturæ inter producens, & productum. Nam in vnitate naturæ ſola, non poteſt fundari; aliàs omnes homines eſſent ſibi mutuę imagines, cum ſint ſimiles in natura.

Nec in hac & productione ſimul

Oſtenditur 1.

Quòd ſi dicas fundari ſimul in vnitate naturæ & productione; duo fundamenta ponis eiuſdem relationis, quod philoſophia non permittit, & ratio prorſus diſſentit, vt liquet in libro tertio.

Secundò.

Prætereà accommodando hæc diuinis, Spiritus Sanctus erit imago & Filius, ſiquidèm eius ſimilitudo cum Patre fundatur in vnitate naturæ inter producens & productum; aliàs non conſentaneè philoſophãtur de rebus diuinis, & creatis. Dicendum igitur erit eam relationem fundari in exemplatione, vt ſtatim docebimus.

10. Contra quartũ

In diuinis non fũdatur etiã in proprietate perſonæ.

Probatur 1.

Quarto iterũ loco, deterius eſt quod aiunt, in diuinis modo quodam diuerſo à rebus creatis fundari ſimul in vnitate naturæ, & proprie tate perſonæ illam relationẽ imaginis; tum quia (quod præ oculis eſt) ipſa relatio imaginis eſt proprietas perſonalis, vt lib. 4. dicemus: ergo non fundatur in ipſa perſonali proprietate:

C

Secundò.

Hęc proprietas eſt ſolùm relatio, & proprietas.

tũ etiã quia hęc imago nõ repręſentat ratione proprietatis, ſed ratione naturæ, vt iã docuimus. Perſona enim diuina eſt ſolũ, id quod eſt; quo autẽ eſt, eſt ipſa natura; quicquid ergo eſt in imagine vnde habet repræſẽtare, eſt abſolutum: proprietas verò perſonalis in Deo nihil repræſẽtat, ſed eſt ſola relatio & proprietas; hæc munera obit referendi, & cõſtituendi perſonam, alia munera nulla obit.

Probatur 3.

Prætereà reuoluimur in eandẽ charybdin; quid enim eſt in cauſa, vt proprietas Filij fundet relationem imaginis, quam non fundat proprietas Spiritus Sancti? Quia (inquiunt) Filius procedit per intellectum.

D

Quid ad rem, ſi ratio imaginis nõ eſt alligata operationi intelligenti, ſed & extra intellectum inuenitur in nobis? ergo & in Deo extra intellectum erit. Certè ea eſt ratio, quia proceſsio per intellectum eſt exemplatio; quam ob cauſam meritò non cõcedimus relationem diuinæ imaginis in perſonali proprietate fundari, ſed in origine.

Proceſsio per intellectum eſt exemplatio.

Quod verò commonſtrant SpiritũSanctũ non repræſentare Patri neq; Filio, vt repræſentare eſt propriũ imaginis

ginis confitemur: ſed quare non repræſentet,non oſtendunt; cũ in rebus creatis ſint imagines repræſentantes,quę nõ procedunt de intelligibili operatione.

10.
Contra 5. Verbum non repræſentare ſecundariò Spiritum Sanctum Oſtenditur.

Vltimò illud quoque improbatur, quòd Verbũ ſecundariò repręſentet Spiritum Sanctum: nam ordine rationis nõ priùs repræſentat Patrem, quàm Spiritum Sanctum; nam relatio qua refertur ad Patrem vt ad exemplar repræſentando, eſt relatio rationis; ordine autem rationis poſt diuinam eſſentiam tres ſimul perſonas repreſentat. Ea verò relatione reali imaginis, qua refertur ad Patrem propter originem & exemplationẽ,neq; ſecundariò ad Spiritum Sanctum refertur, ſed ſolùm ad Patrẽ. Quia verò hãc relationem imaginis cum repræſentatione confundunt,credunt priùs repræſentari Patrem,quàm Spiritum Sanctũ. Hanc eandẽ ob cauſam S. Bonauenturã iniuriâ ſugillant, quòd dixerit imaginẽ diuinam connotare relationem ad Spiritum Sanctum, ſcilicèt relationem repræſentantis,quamuis ab eo non procedat. Qui in re vel aliud cogitantes relabuntur in veram ſententiam,quòd ratio propria imaginis ex origine ſpeciali, quæ eſt exemplatio, ſpectanda eſt; non ex repræſentatione, vt falsò exiſtimarunt.

*S. Bonauen*

*Vaſques* in veram ſententiam relapſus.

11.
1. dictum. Relatio realis imaginis ad exemplar nõ eſt repræſentatio, ſed ſimilitudo fundata in exemplatione.

Eſt ergo obſeruandum, quòd relatio realis, quæ eſt imaginis ad ſuum exemplar, non eſt ea quam dicimus repręſentionem; repræſẽtare enim eſt relatio rationis in quacunque imagine etiam mẽtis, vt dicemus. Sed ea ſimilitudo quæ fundatur in illa actione, qua imago deducta eſt ad exemplar alterius, eſt vera relatio realis imaginis adexẽplar. Ouo enim nihil ſimilius,quàm ouum; non tamen vnum eſt imago alterius, quia hæc relatio imaginis fundatur in ea actione, qua vnnm ab alio, vt ab exemplari procedit. Verum eſt,quòd propter hanc ſimilitudinem imago repræſentat exemplar,quaſi ducens intellectum ad rẽ vnde ipſa deducta eſt. Et vtraque ſanè ſimilitudo eſt ſecundum naturam;ſed altera fundatur in ipſa vnitate naturæ,altera in actione.

12.
Imago alia ſecundum accidens. Alia eſſentialis

Eſt etiam imago, vel ſecundum accidens,quæ ſpecie tenus & figurâ imitatur exemplar, à quo deducta eſt, vt imago lignea Cæſaris: & eſt alia imago eſſẽtialis,quæ ſecundum eſſentiam ab alio eſt deducta, vt homo ab homine genitus; quam imaginẽ Hebræi proprio nomine appellabant, Rebuchin,apud Gilbert. Genebr. ad Schegkium fol.135. At Marius Vict. lib. 3. contra Arium imagines ſenſiles,non imagines,ſed ſimulacra, ac ſimulamẽta ait eſſe dicenda,quòd ſimulent quod non ſunt.

*Genebard.*
*Mar.Victor.*

13.
2. dictum.

Deinde obſeruandum eſt, quòd non quæuis proceſsio naturalis dicitur propriè exemplatio. Nam ignis procedit ab igne in ſimilitudine naturæ, non tamen ignis genitus eſt imago gignentis; quare exemplatio hìc deſideratur, quæ ad rationem imaginis ſufficiat. Dicendum ergo eſt, tunc rem aliquam deduci propriè ab exemplari, cũ in ipſo agente non eſt ſola forma naturalis, qua agens eſt agens;ſed prætereà aliquid eſt in agẽte loco imaginis deducendæ, & hoc dicitur exemplar propriè; verbi gratia, in artifice non ſolùm eſt ars,qua operatur, ſed prætereà eſt idea rei efficiendæ loco rei ipſius, quæ eſt propriiſsimè exemplar. In viuentium verò generatione ſemen ipſum in generãte diſponitur, & afficitur ijs diſpoſitionibus, vt in ipſo viuente ſemen ſit loco rei gignẽdę, quaſi exemplar. De quo Ariſtoteles lib. 1. de partibus animalium cap. 1. ſemen ait eſſe virtute animal; & ſæpiùs idem vſurpat. Itaque pręter qualitates naturales, quibus hęc agentia operãtur,inuenimus in eis quædã operationis inſtrumẽta,ſcilicèt ideam in artifice,& ſemen in generãte;quæ ſunt quaſi exẽplaria, vndè imago vel artefacta,vel naturalis deducitur.

Ad propriam exemplationẽ, præter qualitates operatiuas, requiritur in agẽte aliquid loco imaginis deducendę,vt idea ſemen.&c.

*Ariſtotel.*

14.
In rebus creatis imago triplex.

Tria autem ſunt in rebus creatis genera imaginis,vt rem clariſsimè intueamur;imago artefacta ſenſu nota; filius, qui eſt imago naturalis; & verbum mẽtis, quod eſt intelligibilis imago. In imagine artefacta quatuor ſunt conſiderãda,ſubiectum quod eſt lignum, aut aurum;figura & colores per artẽ comparata; relatio ſimilitudinis fundata in actione artis;& repræſentatio exemplaris. Subiectum quod eſt lignum, aut aurum eſt quaſi materia imaginis, pro qua nomen imago ſupponitur;ſignificat autem formam, ſcilicèt illud quod per artem efficitur,& eſt quid abſolutũ & propria ratio imaginis;vel etiam nominis ęquiuocatione ſignificat ſimilitudinem in illo abſoluto fundatam, quę eſt realis relatio; repræſentare enim eſt relatio rationis

In imagine artefacta, pręter ſubiectum,cõſiderantur tria; vnum abſolutum,& duę relationes.

nis, quæ non ſignificatur per nomen imaginis, ſed conſequitur. In imagine naturali, quę eſt filius, tria conſideramus, ſcilicèt id quod eſt abſolutum, quod eſt eſſentia accepta per generationem; & relatio ſimilitudinis in generatione fũdata, quæ eſt realis; & relatio repræſentantis exemplar, quæ eſt duntaxat rationis. Sed nomen, imago naturalis, quod filio conuenit, non ſignificat eſſentiam in rebus creatis, ſed ſignificat accidens; accidit enim eſſentiæ eſſe imaginem, vt Petro, cuius eſſentia eſt homo, accidit eſſe imaginem Ioannis, cuius eſt filius, ſicut accidit eſſe filium. Imago verò artefacta ex intima ratione eſt deducta ab exemplari; & idcircò etiam quoad abſolutum illud quod eſt artefactum, eſt eſſentialitèr imago. De relatione verò ſimilitudinis fundatæ in actione, & de relatione repræſentantis, idem dicendum eſt in imagine naturali & artefacta; nam prima relatio eſt realis, ſecunda rationis; prima ſignificatur formalitèr per nomen imaginis ſi relatiuè ſumatur; ſecunda non ſignificatur per nomen, ſed conſequitur. In imagine verò intelligibili quæ eſt verbum, tria etiam meditamur, ſcilicèt formam ipſam abſolutam, relationem ſimilitudinis in actione fundatam, & relationem repræſentantis. Et quidèm hæ duæ relationes ita inueniũtur in verbo, ſicut in imagine artefacta, & naturali, de quibus iam diximus. Id verò quod eſt abſolutum in imagine intelligibili ab imagine naturali, & artefacta differt. Ab artefacta differt, quia ea eſt imago ſecundum accidens, aſsimilatur enim ſuo exemplari in accidentibus; imago verò intelligibilis in eſſentia aſsimilatur, quia ſecundum eſſe intelligibile eſt ipſa eſſentia leonis, v.g. non accidens; hoc eſt, non refert accidentia, ſed eſſentiam. Ab imagine verò naturali differt intelligibilis imago, quia id quod eſt abſolutũ in imagine naturali, quod eſt rei eſſentia, non ſignificatur per nomen, quia non eſt eſſentia Petri vt ſit imago Ionæ: in imagine verò intelligibili id quod eſt abſolutum, quod eſt forma quædam intelligẽtis, abſque dubio eſt eſſentialiter imago; quare nomine iſto imaginis ſignificatur, & quid abſolutum & quid relatiuum, æquiuoca ſignificatione; in imagine verò naturali, quam dicimus filium, ſola relatio realis ſignificatur formalitèr; quia

In naturali tria.

In intellgibili tria.

In qualibet relatio ſimilitudinis eſt realis & ſignificatur formalitèr.

Relatio repræſẽtãtis in nulla.

Quoad abſolutũ reliquæ differunt ab intelligibili.

In naturali relatio realis ſola ſignificatur formalitèr.

A cum eſſe imaginem accidat homini, nihil aliud illi accidit, quod hoc nomine ſignificetur, niſi relatio. Et idcircò in diſputationibus oculatè conſiderandum eſt, ne cauſa æquiuoci decipiamur.

15\. Adhùc tamen aduertendum eſt ſimilitudinem aliam eſſe æquiparantiæ, ſiue æqualis comparationis, aut appellationis, vt ſimile refertur ad ſimile; aliam verò eſſe diſquiparantiæ, ſiue inæqualis cõparationis, aut appellationis, vt imago refertur ad exemplar; referuntur enim diuerſis nominibus relatiuis, & propria relatio imaginis non eſt alicuius ſimilis, B ſed aſsimilati; aſsimilatur enim imago exemplari, quod eſt imitari exemplar. Quamobrem ſcitè dixit Doctor Albinus Alcuinus lib. 1. de Trinitat. cap. 46. *Nõ imago de imagine, quia nõn ambo imago, ſed ſolus filius.* Eſt enim diuerſum nomẽ imaginis, & illius à quo eſt imago. Et Marius Vict. lib. 1. contra Arium imaginem refert ad imaginalem, quod nos vocamus exemplar. Tertullianus lib. contra Praxeã verba Pauli, *Qui cum in forma Dei eſſet*, alitèr legit, *qui in effigie Dei conſtitutus*, & ſubijcit, *non in eadem* C *effigie Patris*, quod poſſet explicari, quia filius ſit imago, Pater verò exẽplar: ſed arbitror non id ſignificaſſe eo loco Tertullianum.

Similitudo alia æquiparãtiæ, alia diſquiparantiæ.

*Alcuinus.*

*Mar. Vict.*

*Tertullian.* explicatus.

16\. Diſtat autem vtraque ſimilitudo etiã fundamento. Nam ſimilitudo æquiparãtiæ fundatur in vnitate formæ, vt Ariſtoteles docet: ſimilitudo verò diſquiparãtię fundatur in actione; imago enim imitatur exemplar, à quo procedit, & in ipſa proceſsione imaginis ab exemplari fundatur illa ſimilitudo diſquiparantiæ, quę rectè dicitur imitatio. Vnde colligimus imaginem non referri relatione reali ad exemplar, niſi procedat ab eo, & illud ſimul exiſtat; ſunt enim relata imago, & D exemplar: & ita cum artifex à re pręſenti oculis ſubiecta deducit imaginem, illa imago, durante ſuo exemplari, habet relationem realem ad illud fundatam in actione, qua exemplar mouet artificem imittendo ſpecies ſenſibiles, è quibus eductæ intelligibiles, origo ſunt intellectionis, à qua procedit tandèm imago. Quare niſi ſit realis proceſsio imaginis ab exemplari, relatio imaginis non eſt realis, quæ ſcilicèt fundatur in reali proceſsione; ſicut ſcientia non refertur ad ſcibile relatione reali effectus, niſi ab illo

Prior fundatur in vnitate formæ.

Poſterior in actione.

1\. conſectariũ. Poſterior, quæ eſt propria imaginis, vt ſit realis, requirit realem proceſsionem ab exemplari.